



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Menologivm Græcorum ex Bibliotheca & interpretatione Gvlielmi Sirleti
Cardinalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)



MENOLOGIVM
Græcorum

ex
Bibliotheca
&
interpretatione

GVLIELMI SIRLETI
Cardinalis,

Nunc primùm è manuscripto in lucem
editum
& notis illustratum

Ab

HENRICO CENISIO NOVIOMAGO
Jurifconsulto.

MENO-



MENOLOGIVM

GRÆCORVM

Mensis Ianuarii die primo.



CIRCVMCISIO DOMINI NO-
stri Iesu Christi.

Eodem die Commemoratio sancti Patris
nostri BASILII Archiepiscopi Cæsareæ.

Eiusdem Mensis die secundo.

Natalis sancti Martyris Basilij ex vrbe Ancyra, qui Cæsareæ Imperatore impio Iuliano, Præside Saturnino passus est. Eodem die sancti Siluestri Romani Pontificis, qui propter summum virtutis gradum defuncto Miltiade, antiquioris Romæ creatus est Episcopus. Hic multorum patrator miraculorum, Constâtinum magnum ad Christi fidem conuertit, cum animi & corporis morbos diuino Baptismate ab eo expulisset.

Eiusdem Mensis die tertia.

Sancti Martyris Gordij ex Cæsarea Cappadociæ, qui cum Licinio Rege esset Comes, & militarem ordinem gereret, propter Christianæ fidei confessionem, nobile martyrium perpeffus est, in cuius laudem habita insignis Basilij magni extrat oratio. Eodem die sancti Prophetæ Malachiæ de tribu Leui.

Zzzz 2

Eiusdem

Eiusdem mensis die tertia vel quarta.

Natalis Beatorum martyrum Theopempti, & Theone, qui Diocletiano Imperatore passi sunt. Eodem die Commemoratio sancti Martyris Zosimi & Athanasij Commentariensis, qui Domitiano Præsidi apud Ciliciam illustre martyrium pertulerunt. Eodem die Commemoratio sanctæ Encleticæ Virginis.

Synactica.

Die V.

Sancti prophetæ Micheæ de Tribu Ephraim.

Die VI.

Celebritas sanctorum Theophaniorum.

Die VIII.

Certamen sanctorum martyrum Theophili diaconi & Helladij laici, qui pro Christi confessione in Libya sub proconsule laniati, acutis testis compuncti, atq; in ignem cõiecti, constanter in fide perseverantes Christo Domino animas suas reddiderunt.

Eiusdem mensis die IX.

Sancti Martyris Poyeucti, qui Decio, & Valeriano Imperatoribus, cum in Melitina Armeniæ primum militasset, ac postea ad Christum conuersus, neglectoq; de fide ipsa abiuranda edicto, gentilium simulachra confregisset, nullis cognatorum precibus, aut blanditijs persuasus, ac ne ipsius quidem vxoris gemitib; & scemineis vultibus commotus esset, stabili confessione, securi percussus Martyrij palmam consecutus est.

Die X.

Gregorij Episcopi Nyssæ fratris Basilij magni, viri eruditione, eloquentia, & orthodoxæ fidei zelo insignis, qui dicendi vi, & sacrarum literarum testimonijs hæreticos confutauit. Cumq; ad multam senectutem peruenisset, migravit ad Dominum.

Eodem

Eodem mense die XI.

Commemoratio sancti Patris nostri Theodosij Cæno-
biarchæ ex oppido Marissi Cappadociæ. Magariasi.

Die XXI.

Certamen sanctę Martyris Tatianę ex antiquiore Ro-
ma, Alexandro Imperatore, quę propter Christi fidem
oblata Imperatori, & in templum idolorum cum eo in-
gressa, precibus simulachra euertit, atq; in terram colli-
sit; quare in faciem verberatur, & vncis eius palpebrę
dilaceratur, deinde suspensa pectinibus laniatur, raso ca-
pite, postremo cum igni & feris obiecta illęsa mansisset,
securi percussa euolauit in cælum.

Eodem Die sancti Martyris Meortij, qui verbera-
tus per septem dies, migravit ad Dominum. Mertii.

Die XIII.

Natalis sanctorum martyrum Hermilli & Stratonici, sub Hermylis
Rege Licinio. Erat autem Hermillus in ordine diacona-
tus, qui pro Christi confessione post verbera, & dilaniatas
carnes, & alia tormentorum genera, vna cum Stratonico
in flumen Istrum conijcitur, vbi vterq; beatum finem
consecutus est.

Die XIII.

Certamen sanctorum Patrum in Sina interfeutorum
à Saracenis, Temporibus Diocletiani, & Petri Alexan-
drini; fuere autem patres interfecti numero XXXVIII.
ex quibus Hesaias & Sabas reperti sunt viui, alij vero mor-
tuis sunt inuenti. Eodem die Natalis sanctorum Prüm
XLIII. in Raicho iugulatorum à Blemmyis in mari rubro,
vbi sunt duodecim fontes, & LXX. arbores palmarum.
Eodem Die sancti Theoduli. Hic fuit filius Nili, viri sa-
pientis, qui relicto sæculo, in montem Sina se contulit
vbi cum filio vitam monachi exercuit.

LXXX

Die

Sancti Ioannis Calybitæ filij Eutropij Senatoris, & Theodoræ.

Eodem die Natalis sancti Martyris Anastasij Persæ. Hic fuit Rege Persarum Cosroe, Romanorum autem Heraclio; Patriam habuit Razech, qui cum Hierosolymam esset profectus, sibi accepto baptismo, factus monachus in monasterio sancti Sabæ, omnemque monasticæ vitæ exercitationem affectus, martyrij subeundi desiderio affectus Cæsaream Palæstinæ se contulit, ubi cum vidisset magos quosdam, eosque irrideret, ab illis derentus, ad Barfabanam ductus, varie cruciatus est, postremo actus ad Regem Persarum, vehementius ab eo cruciatur, ipsius collo ita laqueo astricto, ut respirandi facultatem non haberet, postremo securi percutitur, capite pro Christi fide abscisso.

Eodem die Sanctæ Martyris Charitinæ quæ Imperatore Diocletiano, & Domitiano Præsidi accusata quod Christum coleret, oblata Præsidi se Christianam esse professæ est; quare multa & varia tormenta constanter perpeffa, martyrij palmam affecta migrauit ad Dominum.

Die XVI.

Apud urbem Constantinopolim Veneratio preciosa illius Cathenæ, qua beatus Apostolus Petrus Christi causa Herodis iussu vinctus est.

Die XIX.

Natalis Sancti martyris Theodoti, Licinio Imperatore, Præsidi Sabino, in Insula Cypro, multos & varios cruciatus perpeffus, atque ab omnibus liberatus, Constantino magno Imperatore in pace quieuit, & ut Christi Confessor migrauit in cælum.

Eodem

Eodem Die Memoria sanctorum Patrum Macarij Ægyptij & Macarij Alexandrini, qui exercitatione monastica, vita, moribus, admirabili abstinencia, & miraculis illustres fuerunt.

Die XX.

Natalis sancti martyris Neophyti, qui fuit ex Nicæa Bithyniæ, pijs ortus parentibus Theodoro, & Florentia, Imperatore Diocletiano. hic cum quintumdecimum ageret ætatis suæ annum, Decio Præsidi repente astitit, & liberè Christi fidem prædicans, flagris primùm cæditur, postea in ardētem fornacem conijcitur, feratū moribus traditur, cumq; ex his omnibus illæsus permansisset, postremò irruente in illum barbaro quodam homine securi percutitur.

Die XXII.

Natalis sancti Timothei Episcopi Ephesi. Hic fuit ex vrbe Lystra, patre Græco gentili, matre vero Iudæa, discipulus Beati Apostoli Pauli, cuius & comes fuit, quem & Episcopum Ephesi Apostolus ipse ordinavit, passus est in vrbe Ephesi, eius reliquiæ Constantinopolim translatae, repositæ sunt sub sacro altari vna cum sanctis Apostolis Luca, & Andrea, vbi & ipsius solemnitas celebratur.

Die XXIII.

Natalis sancti Clementis Ancyra Galatiæ, qui ortus patre gentili, matre verò Christiana nomine Euphrosina quæ Christi Martyrem futurum illum prædixit, sub Diocletiano & Maximiano martyrium pertulit, quo die & sanctus Agatangelus Ancyra, Lucio Præside passus est.

Eiusdem

Eiusdem Mensis XXVII.

Relatio reliquiarum sancti Ioannis Chrysofomi in urbem Constantinopolim in templum sanctorum Apostolorum tempore Procli Patriarchæ, & Theodosij minoris; Celebratur autem dies festus sicut in XII. die Nouembris.

Die XXVIII.


Natalis sancti Patris reuerendiss. Ephrem Syri, ex patria Edessa, in cuius laudem extat sermo sancti Gregorij Nysseni.

Die XXX.

Natalis sanctorum martyrum Cyri & Ioannis ibidem & trium sanctarum virginum Theodoræ, & Eudoxiæ, & matris Athanasie sub Diocletiano Imperatore.

Eodem die sanctorum martyrum, Victorini, Victoris, Niphophori, Claudiani, Diodoti, Serapionis, & Papiæ in urbe Corintho passorum Imperatore Decio.

Eodem die, sanctorum martyrum Thriphenæ ex Cyzico Hellepontii urbe.



PRIMO DIE MENSIS FEBRUARII.

Natalis dies sancti martyris Tryphonis sub Gordiano Imperatore passi.

Eodem die Hypapante Domini Nostri Iesu: quo tempore Beatus Simeon Christum Dominum in vlnas accepit. Item sancti & iusti Simeonis, de quo in Euangelio scriptum est.

Eiusdem

Eiusdem Mensis die IV.

Natalis sancti Hadriani qui apud Caesaream Decio Imperatore martyrium passus est.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Isidori Pelusiotæ. Item sancti Martyris Abrahamij Persæ, & sanctæ martyris Agathæ.

Eiusdem mensis die VI.

Sancti martyris Iuliani Emeseni. Item sanctæ martyris Faustæ & sociorum, Euilafij & Maximi sub Maximiano Imperatore.

Eodem die sancti Martyris Siluani Episcopi, Lucæ Diaconi & Mocij lectoris, qui Imperatore Numeriano, ex regione Emesenorum, martyrium passi sunt.

Eiusdem mensis die VII.

Commemoratio sancti Parthenij Episcopi Lampfaci.

Eiusdem mensis die VIII.

Sancti Zachariæ Prophetæ è numero duodecim.

Eiusdem mensis die IX.

Sancti martyris Nicephori, qui Valeriano & Galieno Imperatoribus, martyrium perpeffus est.

Eiusdem mensis die XI.

Natalis sancti martyris Blasij Episcopi Sebastæ, qui Maximiano Imperatore passus est.

Eiusdem mensis die XIII.

Natalis beatissimi Patris nostri Martiniani, qui fuit ex Caesarea Palæstinæ vir pietate & monastica exercitatione insignis.

Eiusdem mensis die XIV.

Commemoratio sancti patris Auxentij sub Theodosio minore, pietate & exercitatione monastica illustris.

Eiusdem mensis die XV.

Natalis sancti martyris Onesimi discipuli sancti Pauli Apostoli.

Eiusdem

Eiusdem Mensis die XVII.

Sancti martyris Theodori ex vrbe Amasea ducis exercitus cum idolum incendisset, eius quam matrem Deorum esse gentiles nugabantur, pectinibus dilaniatus, & in caminum ardentem iniectus martyrium assecutus est.

Eiusdem mensis die XVIII.

Sancti Patris nostri Archiepiscopi Constantinopolis Flauiani, qui ab impio Dioscoto, & Hæreticis cum eo aspirantibus eiectus atq; in exilium missus, varijs pressuris, & ærumnis vexatus, vita functus est.

Eiusdem mensis die XX.

Sadoth.

Sancti Episcopi Sadoch, & qui cum illo in Perside passi sunt centum viginti octo martyrum.

Eiusdem mensis die XXI.

Sancti patris nostri Eustathij Episcopi Antiochenę vrbis.

Eiusdem mensis die XXIII.

Sacrofancti martyris Polycarpi Smyrnę, qui fuit discipulus sancti Ioannis Apostoli & Euangelistę, vnà cum diuino illo martyre Ignatio.

Eiusdem mensis Die XXIV.

Inuentio pretiosi Capitis sancti præcursoris Ioannis Baptistę.

Eiusdem mensis die XXV.

Sancti Tarasij Archiepiscopi Constantinopolitanę vrbis qui auctore Adriano Romano Põtifice in secūda Nicęna Synodo egregiam nauauit operam ad condemnandam illorum hæresim, qui sanctarum imaginum cultum impugnabant.

Eiusdem mensis die XXVII.

Sancti Patris nostri confessoris Basilij & Procopij Decapolitę, qui tempore Leonis cognomento Iconomachi pro sanctarum imaginum cultu varios cruciatus perpeffi, mortuo Tyranno erepti è carcere in pace dormierunt.

Martyj

MARTII DIE PRIMO.

SANCTORUM martyris Eudociæ ex regione Samaritarum. Hæc fuit ex Heliopoli Traiano Imperatore ad Christi fidem conuersa, baptizata ab Episcopo Theodoro post multas pro Christi fide inquisitiones à Vincentio Præfide securi percutitur.

Eodem die sanctæ Dominiæ & sociorum. Hæc pijs & locupletib⁹ orta parentibus à pueritia Deo ipsi se dedicauit, cumq; admirabili monasticæ virtutis exercitatione vsa esset, ad dilectum sponsum suum Christum, cum multis Deo placitis operibus translata est.

Eodem die sanctæ Antoniæ. Hæc ex vrbe Cea, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus propter Christi confessionem & inanium Idolorum irruptionem, graues & varias perpeffa cruciatus, postremo vale quodam inclusa, in paludem Cea deiecta, spiritum Domino commédauit.

Eiusdem mensis die II.

Dormitio sancti Parmenæ vnus ex septem Diaconis.

Eodem die sancti Porphyrij Episcopi Gazæ ex vrbe Thessalonica, Arcadio & Honorio Imperatoribus, cum cœlestem in terris vitam duxisset, migravit ad Dominum.

Eiusdem mensis die III.

Sanctorum martyrum Cleonici, Eutropij & Basilissij, q. cum Maximiano Imperatore militarent, delati q. essent Christiani sub Asclepiade Præfide, post multa tormenta & crucem ipsam, martyres effecti, migrarunt in cœlum.

Eiusdem mensis die IV.

Sanctæ martyris Heraidis, & sanctorum martyrum Archelai Cyrilli, Photij. Et sancti Patris Gerasimi in Iordane ^{Heroidis} versantis, cui fera ipsa seruiuit.

a 1

Eodem

Eodem die Sanctorum martyrum & Pontificum apud Chersonem, Basilij, Eugenij, Agathodori, Elpidij, Aetherij, Capitonis, & Ephræm. Eodem die martyrio functi Nestor, & Arcadius Episcopi Trimythuntiorum in pace quieverunt.

Eiusdem Die VII.

Sancti Patris Pauli cognomento Simplicis propter rectam, & simplicem, multisque modis à Beato illo magno Antonio probatam eius integritatem, quam & Deus ipse miraculis comprobavit, ut literarum monumenta testantur.

Rem. Martyrolog Theophili.

Strobelum.

Eodem die Sancti Patris nostri Confessor * Theophylacti Episcopi Nicomediæ, qui ex partibus orientis Constantinopolim profectus, illorum hæresim, qui sanctarum Imaginum euerisionem moliebantur, argumentis & diuinarum literarum testimoniis confutabat, ita ut Imperatoris Hæretici iussu in * Strimbelu Castrum missus fuerit, vbi cum x x x. annos ob Catholicæ fidei defensionem in exilio transsegisset, migravit ad Dominum.

Eodem die Sancti Patris Pauli Episcopi Plusiadis confessoris, qui vixit temporibus illis, quibus ab hostibus sanctarum imaginum Ecclesia ipsa oppugnabatur; ob cuius defensionem multa perpessus, in exilium missus in pace quiescens spiritum Deo commendavit.

Eodem die Sancti Hermæ, cuius meminit Apostolus Paulus in Epistola, quam scripsit ad Romanos,

Eiusdem mensis Die VIII.

Sancti Cononis Martyris $\tau\delta\ \kappa\upsilon\pi\epsilon\iota\varsigma$ ex Nazareth Galileæ, hic sub Decio Imperatore propter Christianæ fidei confessionem ferreis clavis confixis pedibus antecur-

rum iussus currere in genua procumbens, & orans spiritum Christo Domino tradidit.

Eodem die Sanctorum Martyrum, qui sunt in Amorio detenti, & in Syria martyrium perpeffi, Theodori, Constantini, Theophili, Bassonis & sociorum numero quadraginta duorum.

Eiusdem mensis Die IX.

Sanctorum quadraginta Martyrum qui sub Licinio Imperatore, Agricola Praefide in palude Sebastæ passi sunt: in quorum laudem extant sanctorum Basilij magni, Gregori Nysseni, Ioannis Chrysofomi, & Gaudentij Episcopi Brixienfis elegantissimæ orationes.

Eiusdem mensis Die X.

Sanctorum Martyrum Codrati & sociorum Dionysij, Cypriani, Anefti, & Crescentis ex vrbe Corintho, Decio & Valeriano Imperatoribus, Græcis ipsis praefidente Iasone, sub quo Codratus cum socijs in Christi confessione constanter perseverans, securi percussus est.

Eiusdem Die XI.

Sancti Pionij Presbyteri Ecclesiae Smyrnenfis. Hic Decio Imperatore, ligno affixus, & in ardentem rogam coniectus, martyrio consummatus.

Eodem die Sancti Patris nostri Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani, ex regione Phœnicia, vrbe Damasco, multiplice eruditione, diuinarum literarum scientia, & pietate insignis.

Eiusdem Die XVI.

Sancti Martyris Iuhani. Hic ex vrbe Anazarbenfis Cilicia, cum ageret xviii. ætatis annum, Marciano Praefidi oblatus, renuens Idolis sacrificare, varijs modis cruciat-

us postremo faceo arena, & venenatis serpētibz pleno inclusus, in medium mare deieitur, & ita martyrij palma coronatur.

Eiusdem Mensis die XVII.

Natalis sancti martyris Pauli, qui pro sanctarum Imaginum cultu igne comburitur.

Eodem die Sanctus Theosterictus pro earundem imaginum defensione in pace consummatus, migravit ad Dominum.

Die XVIII.

Sancti Patris nostri Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymitani & c.

Eodem, Decem millia securi percussi apud Nicomediam martyrio coronati sunt. Item Trophimi, Eucarpionis martyrium celebratur.

Die XIX.

Sanctorum martyrum Chrysanthi & Darix

Eodem Die sanctus Claudius Tribunus in mare projectus, martyrio coronatur. Item sancta Hilaria eius vxor securi die tertio Decemb. percussa, eiusdem martyrij palmam consecuta, migravit ad Dominum.

Eodem die Sancti Iason & Maurus, S. Claudij, & Hilarix filij ense percussi martyrio coronati sunt.

Eodem die sancti Martyris Pancharij Romæ, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, propter Christianæ fidei confessionem apud Nicomediam, decimo nono Mensis Martijense percussi.

Eodem die sancti Diodori Presbyteri & Mariani Diaconi, qui quod Christi fidem profiterentur, propterea spelunca inclusi, securi percussi sunt.

Eodem die, Certamen sanctarum septem mulierum apud Amysum Alexandræ, Claudix, Euphrasix, Matro-

na,

næ, Iulianæ, Euphemix, & Theodosiæ, item sanctæ Drophutæ & sororis.

Eiusdem mensis Die XX.

Certamen sanctorum Patrum interfectorum ab Æthiopiis in monasterio sancti Sabæ.

Eodem die Sancti Patris Nicetæ Episcopi Apolloniadis confessoris. Hic pro defensione sanctarum imaginum persecutionem passus, eo quod nollet venerabilem Christi Domini, & immaculatæ matris ipsius & aliorum sanctorum imaginem negare, in exilium missus, & varijs afflictionibus tentatus, beatam præstans confessionem, sanctam Deo ipsi animam tradidit.

Eodem die Sancti Martyris Rodiani, qui pro Christianæ fidei confessione, securi percussus, martyrij palmam consecutus, migravit in cælum.

Eodem die Certamen Sanctæ Martyris Photinæ Samaritanæ, cum qua Christus Dominus in puteo locutus est, & Ioseph, & Victoris filiorum, nec non Sebastiani Ducis, Anatolij, Photij, Photidis, Parasceues, & Cyriacæ germanarum sororum, qui omnes Christi fidem confessi, martyrij palmam consecuti sunt.

Eiusdem mensis Die XXI.

Sanctorum Martyrum Philemonis & Domnini Certamen. Item sancti Iacobi commemoratio. hic à puero monasticam exercitationem edoctus ieiunijs, & vigilijs, ac meditationi diuinarum literarum incumbens, Episcopatus dignitatē assecutus est, cumque Hæreticorum sanctas imagines oppugnantium temporibus multas tentationes, & persecutiones perpessus esset, postremo fame, & siti afflictus in cruciatibus spiritum Deo tradidit.

Eodem

Eodem die Certamen Sanctarum martyrum Gallynicæ, Basilisæ, & sacrosancti martyris Birilli Episcopi Catanæ. Hic sanctus Birillus ex Antiochia Syriæ cum esset sancti Apostoli Petri discipulus, ab eo Episcopus constitutus Catanæ urbis Siciliæ, gregem illum recte pascens multos gentiles ad Christi fidem conuertit prædicatione & miraculorum multitudine insignis cum ad summam senectutem peruenisset, migravit ad Dominum.

Die XXII.

Sancti martyris Basilij Presbyteri Ancyrana Ecclesiæ qui cum in Christiana confessione constanter persisteret, Iuliano Apostata Imperatore, & Saturnino præfide Ancyras post multos cruciatus, Christi martyr volavit in cælum.

Die XXIII.

Certamen sanctorum martyrum Domitij, Pelagiæ, & Aquilæ, Eparchi, & Theodosiæ.

Die XXIV.

Sanctorum martyrum Niconis & sociorum centum nonaginta nouem, qui in vrbe Cæsarea Palæstinæ propter Christianæ fidei confessionem martyrij palmam adepti sunt.

Eodem die sancti Patris nostri Seueri Episcopi Catanæ urbis Siciliæ.

Eodem die Vigilia Annunciationis Beatæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ.

Die XXV.

Annunciatio eiusdem Beatissimæ Mariæ virginis Dominæ nostræ semper virginis Mariæ.

Die XXVI.

Celebritas Gabrielis Archangeli.

Eodem die, certamen sanctorum martyrum qui apud Gothos passi sunt.

Item

Item sanctorum martyrum Quadrati, Theodosij, Emanuelis & aliorum quadraginta, qui apud Orientem passi sunt.

Item commemoratio sancti Patris nostri Stephani confessoris. Hic cum sanctorum & venerabilium imaginum cultum profiteretur, à Leone Armenio Imperatore in exilium missus, varijs cruciatibus vexatus post multa certamina, quæ Catholicæ Ecclesiæ causa sustinuerat migravit ad Dominum.

Die XXVII.

Natalis sanctæ Matronæ apud Thessalonicâ. Hæc cum Christianam fidem profiteretur, & Iudææ cuiusdam Nobilis fœminæ, cuius erat ancilla, neque minis, neque blanditijs, aut verberibus flecteretur, quo minus in proposito permaneret, diutina carceris vexatione animam Deo tradidit.

Eodem die sanctorum martyrum Phileti senatoris, & Lydiæ vxoris, eiusque filiorum, Macedonis, Theoprepidis, Gronidæ commentariensis & Amphilochij Ducis.

Eodem die martyres Ionas, & Barachesus securi percutiuntur.

Die XXVIII.

Sancti Patris nostri Hilarionis iunioris Abbatis monasterij Pelaceti.

Eodem die certamen sancti Erodionis. Hic fuit vnus de septuaginta duobus discipulis, Patrarum Episcopus, qui cum Cristi fidem prædicaret, & multos conuerteret, post multa tormenta, gladio iugulatus est, & ita sanctus martyrio, animam in manus Dei commendans. Sanctus verò Philetus & qui cum eo erant Christiani Adriano Imperatore quotidie Deo ipsi seruientes comprehensi, martyrio coronati sunt.

Die

Die XXIX.

Sancti Marci Arethufiorum Episcopi & Cyrilli Diaconi ac sociorum. Fuit sanctus Marcus Constantino Magno Imperatore. Hic Zelo Dei affectus multas aras, & simulacra destruxit, & Ecclesias Dei veri construxit, neque ullis tormentis persuaderi potuit à Iuliano Apostata, ut pro reficiendis falsorum Deorum templis vel obolum solueret. Multa in huius sanctissimi viri laudem grauiter, & eleganter scripsit sanctus Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus.

Die XXX.

Sancti patris nostri Ioannis cognomento Climacis viri doctrina, & exercitatione monastica insignis.

Eodem die, sancti Prophetæ Ioadæ.

Item sancti patris nostri Zosimi Episcopi Syracusarum, Et sancti patris Ioannis ex Putco, Et confessoris Eustachij Bithyniæ.

Die XXXI.

Sacro sancti martyris mirabilium rerum effectoris Hypatij Gangreni Episcopi ex Regione Ciliciæ. Hic cum vitæ probitate esset illustris & in magna existimatione haberetur, interfuit Synodo primæ Nicenæ, cum trecentis, & decem, & octo Patribus.

Eodem die sanctorum Abdæ Episcopi & Benjamin Diaconi, & sociorum, qui apud Persidem martyrij coronam acceperunt.

Eiusdem mensis die XI.

Sanctorum martyrum Trophimi & Thalei qui Diocleciano, & Maximiano imperatoribus sub Præsede Laodiceæ Asclepio pro Christiana fide passi sunt.

Eodem die Reliquiarum sancti martyris Epimachi re-latio in urbem Constantinopolim.

Eiusdem

Eiusdem Mensis die XII.

Sancti patris nostri Theophanis confessoris.
Eodem die sancti Gregorij Papæ.

Eiusdem mensis die XIII.

Sanctorum martyrum Sabini, Africani, Publij, & Terentij, quorum martyrium celebratur in Paulopetrio.

Eodem die sancti Sabini aliàs Abibi ex Hermopoli, qui saxo alligatus, & in flumen deiectus, martyrio consummatus est.

Eodem die Christina pro Christi confessione apud Persidem martyr effecta migravit ad Dominum.

Die XIIIII.

Sancti patris nostri Benedicti multorum monasteriorum Patris celeberrimi, pietate, & miraculorum multitudine illustris.

Eodem die sancti martyris Alexandri, qui propter Christi fidem apud Pidnam securi percussus est.

Die XV.

Sanctorum martyrum Agapij & sociorum, Publij, Timolai, Alexandri & Alexandri Dionysij & Dionysij qui Diocletiano Imperatore passi sunt: Agapius ex vrbe Gaza, Timolus ex Ponto, duo Dionysij ex Tripoli Phœnicæ, Publius & duo Alexandri ex Ægypto, sub Urbano Præside Cæsareæ animas pro Christo tradiderunt.

Eodem die sancti Aristobuli Episcopi Britannicæ, fratris Beati Barnabæ Apostoli, à quo cum esset ordinatus Episcopus, ad Britannos missus, illic Christi fidem prædicans, & Ecclesiam constituens, martyrium assecutus est.

Eodem die sancti Nicandri martyris. Hic Diocletiano Imperatore cum martyrum amore flagraret, & eorum

reliquijs studiose ac reuerenter colligendis, curandisque incumberet, delatus apud Præsidentem, ac detentus, libera voce Christum ipsum Deum verum esse prædicans, detracta pelle, martyrij coronam adeptus est.

Eodem die Menigni Fullonis. Hic sub Decio Imperatore cū persecutio magna contra Christianos comota esset, pro Christianæ fidei confessione animam tradens, martyrio coronatus est.


Eiusdem mensis die XVI.

Sancti Martyris Sabini, qui cum esset ex Hermopoli Ægypti, genere atq; existimatione inter primarios vrbes ciues habitus, delatus quod Christi fidem sequeretur, allatus ad Arianum quendam vrbes Præfectum, & Christi fidem confessus, tam diu suspenditur ac laniatur, quoad carnes in terram defluerent; postea igne accensis lampadibus comburitur, & ligno alligatus in flumen Scamandrum deiectus martyrij coronam consecutus est.

Eodem die Sancti Martyris Papæ, qui Christi fidem confessus, in terram prostratus verberatur; postea in faciem cæditur, atq; in sublime elatus, ferreis vnguib; laceratur, & acutis clauis munitas crepidas indutus ad longum iter ingrediendum impellitur, postremo sterili arbori alligatus, fructiferam illam efficit, in qua & martyrio consummatur, cuius reliquias sanctas Lycaones possidentes iure optimo læ-

tantur.





MENSIS APRILIS DIE
PRIMO.

SANCTÆ Martyris nostræ Mariæ Ægyptiacæ, quæ cum decem, & septem annos lasciuam & turpem vitam duxisset, conuersa in meliorem statum, talis euasit, vt miraculis etiam multis virtutem suam comprobauerit; siquidem quadraginta septem annos ita vixit, vt neminem nisi Deum ipsum spectatorem habuerit.

Eodem die sancti Patris nostri, & confessoris Macarij Constantinopolitani, viri fidei & vitæ integerrimæ, qui cum Leo Imperator Patriarcham Nicephorum, & multos alios Episcopos, & Archimandritas exilio & carceribus condemnasset; Beatus Macarius ob eam causam, quod sanctas imagines, quas ille oppugnabat, protegeret, mini, & varijs modis vexabatur. Itaq; in Afrusiam insulam extorrem misit, quæ omnia vir sanctissimus forti, & generoso animo perferens, gratias agebat Deo. cumque in illo ipso exilio multos, & damnum & certamina perpeffus esset, multis editis miraculis, migravit ad Dominum.

Eiusdem Mensis die secunda.

Commemoratio venerabilis Patris nostri Titi monastica vitæ studio insignis.

Eodem die Sanctorum Martyrum Amphiani & Ædesij fratrum, qui Maximiano Imperatore apud Berythum à beato Pamphilo martyre ad pietatem instructi, & Christi fidem libera voce confessi, martyrio coronati sunt.

b 3

Eodem

Eodem die *S. Virginis Theodoræ*, quæ ex vrbe *Tyro* originem ducens, cum decimum septimum annum ageret, *Vrbano Præsidi Palæstinæ* oblata, & *Christi* fidem libere professâ, ac flagris cæsa, in mare deiecta, Deo ipsi spiritum reddidit.

Eiusdem Die III.

Sancti *Patris nostri Nicetæ Confessoris*, & *Abbatis Monasterij Medicij*. Item *Commemoratio sancti Patris nostri Ioseph Hymnorum scriptoris*.

Die IV.

Sancti *Patris nostri Georgij* in regione *Maleo* diuersantis.

Eodem die *Sanctorum Martyrum Theoduli lectoris & Agathopodis diaconi*, qui ex vrbe *Theffalonica* exort Christianam fidem profitentes ducti sunt ad *Faultinû Præsidentem*, quo loco in confessione constanter permanentes, martyrio functi sunt.

Eodem die *Sanctæ martyris Pherbuthæ & ancillæ cum socijs; Sapore Rege Persarum* martyrium passæ, sorores sancti *Symeonis Episcopi*, qui cum mille alijs martyrium pertulit apud *Persas*.

Eodem die *Commemoratio Publij & Platonis Abbatris monasterij Studitæ*.

Item *Sanctorum triû, Theonæ, Symeonis, & Phorbini*.

Item sancti *Patris nostri Zofimi*, qui *Beatæ Mariæ Ægyptiacæ* funus curauit.

Die V.

Sanctorum martyrum Claudij, Diodori, Victoris, Victorini, Papij, Nicephori, & Serapionis.

Eodem die *Sanctorum martyrum Theodoræ & Didymi, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Præsidi Alexandriæ Eustratio*.

Eodem die *S. Zenonis*, qui pice illitus, & in igne cõiectus, detracta pelle, in medio rogo, martyrio conlumatus est.

Eodem

Eodem die quinq; martyrum Iuuenum ex vrbe Lesbo.

Die VI.

Sanctorum Martyrum Centum viginti apud Persidē coronatorum.

Item Sancti Platonidis, & sanctorum martyruū duorum apud Ascalonem.

Die VII.

Sancti Martyris Calliopij.

Eodem die Sancti Patris nostri Georgij Episcopi Mitylenæ monasticæ vitæ obseruatione insignis.

Eodē die S. martyris Calliopij Maximiano Imperatore.

Eodem die Sanctorum ducentorum martyrum in vrbe Sinope gladio percussorum.

Die VIII.

Sanctorum Herodionis, Agabi, Rufi, Asyncriti, Phlegontis & Hermes.

Eiusdem Mensis die IX.

Sancti martyris Euppsychij apud urbem Cæsaream pro Christi confessione martyrio coronati.

Eodem die Commemoratio sanctorum martyrum captiuorum apud Persidem martyrio coronatorum.

Die X.

Sanctorum martyrum Terentij, Pompei, Maximi, Macarij, Aphricani, & sociorum, Decio Imperatore, & Fortuniano Præside securi percussorum.

Die XI.

Sancti martyris Antipæ Episcopi Pergami sub Domitiano Imperatore testimonio Beati Ioannis Euangelistæ comprobati. huius dies festus celebratur in venerabili Apostolico Templo Celeberrimi Apostoli Ioannis Theologi prope sanctissimam magnam Ecclesiam.

Die

Die XII.
Sancti Patris nostri Basilij Episcopi Parij.

Die XIII.

Sancti Martini Romani Pontificis, qui à Constantino cognomine Pagonato propterea quod condemnasset Sergium, Pyrrhum & Theodorum publico edicto in exilium missus est, ubi multis ærumnis & angustijs oppressus, migravit ad Dominum.

Eodem die Sanctorum martyrum Maximi, Quintiliani & Dadæ, Maximiano & Diocletiano Imperatoribus gladio percussorum.

Die XIV.

Sanctorum Patris Aristarchi, Pudentis, & Throphimi, qui cū esset ex Lxx. post Pauli Apostoli mortē, & ipsi Nerone Imperatore capite cęsi sunt. Hęc beatissimus Doctrotheus cum esset Romę Romana lingua scripta reliquit, nō solum autem de his, sed & de reliquis Apostolis, & alijs sanctis viris, & factis Prophetis historiam accuratē cōscripsit, fuit enim vir ille ingenio, & multarum rerum peritia insignis, ut quivis alius.

Eodem die sancti martyris Ardalionis, qui cum esset mimus Maximiano Imperatore, & in Theatris aliorum acta simularet, cū aliquando illi visum esset Christianorum constantiam repręsentare, & Dijsipulis renueret sacrificare, ob id quod à spectatoribus applausum esset eiusq; actum, & fortitudinem omnes collaudarent, silētium indicēs populo, re vera se Christianum esse prędicavit, quare cum à Pręsidi admonitus, ut sententiã mutaret, ipse magis magisque in Christianę fidei confessione permaneret, in accensum rogam coniectus martyrij corona donatus est.

Eodem die sancti martyris Thomaidis ex vrbe Alexandrię.
Sancti

Die XV.

Sancti martyris Crescentis ex vrbe Myra Lycie, viri pietate & Christianæ fide insignis, quapropter suspensus laniatur postea in ignem iniectus, Deo ipsi spiritum tradidit.

Eodem die Sanctarum martyrum Basilissæ, & Anastasiæ, quæ cum essent ex magna vrbe Roma genere & diuitijs illustres, discipulæ sanctorum Apostolorum, illis martyrio coronatis, cum eorum sanctas reliquias nocte sublatis curauissent, delatæ sunt Imperatori Neroni. Itaq; in carcerem coniectæ, & paulo post eductæ, cum in Christi confessione se permanere professæ essent, suspensæ sunt, mammis, manibus, pedibus, & linguis excisis, capite obtruncatæ sunt.

Eodem die Sanctorum martyrum Theodori, & Paulippi, Adriano Imperatore, & Precio Præside Europe, pro Christiani nominis confessione gladio cæsi, spiritum Deo commiserunt.

Die XVI.

Sanctarum mulierum Irenæ, Agapæ, & Chioniæ, quæ sub Diocletiano Imperatore propter Christi confessionem passæ sunt: quo tempore Chrylogonus martyr ab eodem Imperatore gladio percussus est.

ad oram adscriptum etiam habetur 3. Aprilis.

Sancti Felicis Episcopi, Ianuarij presbyteri & Septimij Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. Hi omnes cum Imperiali decreto iuberentur gentilibus suos libros tradere, sanctissimus Episcopus id renuit eis verbis: scriptum, inquit, est, ô Præsides, nolite dare Sanctum Canibus, neq; proijcere velitis margaritas vestras ante porcos. His de causis victi educti de carcere missi sunt ad Præsidem Prætorij, quos post dies quatuordecim eductos è carcere

ad oram: habetur: 9. Kal. Nouemb.

c imposuit

imposuit nauigio alligatos pedibus equorum: cumque sancti viri volutarentur ad pedes brutorum animalium ieiuni, ac ne aquam quidem per quatuor dies gustantes, Deo ipsi gratias agebāt: cum vero peruenissent ad urbem Tauromenem appellatam, in Lycaoniam deducti, tenuerunt ciuitatem Ælurorum. Tunc Præses soluens illos viros sanctos à vinculis leniter & blande rogabat, vt libros quos habebant, traderent, illi verò cum respōdissent, se neque libros prodere velle, neque Idolis immolare, iussit Præfectus illos obruncari, quæ cum lata esset sententia ad Deum preces miserunt, è cuius manu coronas cœlestes perceperunt.

Eodem die SS. martyrum Leonidis, Charieffæ, Nices, Galenæ, Calidis, Nunechiæ, Basiliffæ & Theodoræ.

Die XVII.

Menæa Græc.
Abdella,

Sancti martyris Symeonis apud Persidem Episcopi & sociorum Abidellæ presbyteri & aliorum mille centum quinquaginta.

Item sancti martyris Adriani.

Eodem die sancti patris nostri Agapiti Romani Pontificis, Iustiniani Imperatoris temporibus Constantinopolim profecti, viri pietate, & miraculis celeberrimi.

In marg. erat:
habetur pridie
Idus Aprilis.

Die XVIII.

Sancti patris nostri Ioannis discipuli sancti Gregorij Decapolitæ. Item commemoratio sancti martyris Sabæ, qui fuit Valentiniano maiore & Valente imperatoribus apud Gothos: qui cum à puero Christi fidem amplexus esset, comprehensus, ab Athanarito flagellis cæsus in trabe domus suspensus, cum Idolothyta hoc est Idolis immo-
latis

lata carnes gustare non pateretur, ductus est ad fluuium Musæum, eiusq; collo alligato ligno flumine suffocatus est, agens ætatis annum trigésimum octauum.

Eodem die sancti Patris nostri Cosmæ Archiepiscopi * Carthaginis. Item sanctæ martyris nostræ Athanasæ, quæ pijs orta parentibus se ipsam Deo consecrauit.

alia lectio ha-
huit Calcedo-
nis.

Die XIX.

Sancti martyris Paphnutij Hierosolymitani pietate, & rectæ fidei testimonio insignis.

Eodem die Dormitio sancti Ioannis Palæolauriti, qui desiderio seruiendo Deo accensus, relictis huius vitæ delictijs Christi cruce suscepta, venerabilia loca adiit, & ad beati Caritonis lauram profectus, illic certamen monasticæ vitæ susceptum bene & laudabiliter exegit, & in pace quieuit.

Eodem die commemoratio sancti martyris Theodori apud Pergen Pamphylæ, qui Imperatore Antonino, & Præside Theodoto ligno affixus ac suspensus tribus diebus vixit & postea migravit ad Dominum, cuius sanctas reliquias vnguentis & velis religiosi quidam viri curantes, insigni loco reposuerunt.

Eodem die sancta martyr Philippa sancti Theodori mater gladio consummatur.

Eodem die sancti martyres Socrates & Dionysius lanceis vulnerati martyrio functi sunt.

Eodem die sancti patris nostri Georgij Episcopi Pissidiæ Antiochiæ, qui cum illis esset temporibus, quibus prauo instinctu Diaboli excitata est hæresis sacras

Imagines oppugnantium, nequaquam persuaderi potuit ut cum hereticis conueniret, & sanctarum Imaginum venerationem abnegaret, in exilium missus migravit ad Dominum.

Eodem die Sancti Patris nostri Tryphonis Archiepiscopi Constantinopolitani.

Die XX.

Sancti Patris nostri Theodori cognomento Trichina, hic propter arumnas, & vitæ duritiam, cui se subiecit frigore & gelu propter Christum ipsum vexatus, crassa & aspera veste corpus tegebat. ex quo factum est ut Trichinas cognomento appellaretur, ob idque contra Dæmones potestatem accepit. cumq; ita vixisset & ad Dominum, quem desiderabat migrasset, omnibus fidelibus sanitates confert, vnguento ex sancto eius sepulchro scaturiente.

Eodem die Sanctorum martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Cæsarij, Seueriani, Christophori, Theonæ, & Antonini sub Dioeletiano impio Imperatore martyrio coronatorum.

Eiusdem mensis die XXI.

Sacrosancti Martyris Ianuarij Episcopi & sociorū Proenli, Sosij, & Fausti Diaconorum, Desiderij lectoris & Autionis Diocletiano Imperatore & Timotheo Præside Campaniæ coronatorum.

Eodem die sanctæ Martyris Alexandræ Reginæ vxoris Diocletiani, quæ propter Christi confessionem secuti percussa est.

Eodem die Sancti Patris nostri Maximi Patriarchæ Constantinopolitani.

Eodem die Sancti Patris nostri Anastasij Montis Sinai.
Eodem

Eodem die Commemoratio Prophetæ Michæ. Et certamen sanctorum martyrum Apollo, Ilacij, & * Co-^{f Rom. Mart.} drati, fame, & ense consummatorum Diocletiano Im-^{Crotæa} peratore sub quo militarant,

Die XXII.

Sancti Patris nostri Theodori Sycotæ ex Galatia temporibus Iustiniani Senioris. Eius dies festus celebratur in templo sancti martyris Magni Georgij.

Eodem die Sancti Apostoli Nathanaëlis, qui fuit Simon Zelotes, hic fuit ex Cana Galileæ, ubi Christus Dominus inuitatus ad nuptias aquam in vinum conuertit.

Eodem die Sanctorum Apostolorum ex xxx. Apellis, Lucæ, & Clementis. Hic Apelles nõ Heracleæ fuit Episcopus, sed Smyrnæ, Lucas autem iste non fuit ille, qui ^{Rom. Mart. Lucius.} scripsit actus Apostolorum, sed Episcopus Laodiceæ Syriæ, Clemens vero qui ex gentibus ad fidem conuersus, factus est Episcopus Sardorum. Hi omnes cum ad Christi fidem multos conuersos baptizassent, tentationes non paucas perpeffi migrarunt ad Dominum.

Die XXIII.

Memoria Sancti, gloriosi, & magni martyris Georgij cognomēto Tropæophori, fuit magn⁹ martyr Georgius Diocletiano Imperatore, Cappadox genere.

Die XXIV.

Sancti Martyris Sabbæ Ducis exercitus. fuit autem hic Sabbas, Aureliano Imperatore in vrbe Roma, Goth⁹ genere; qui cum Christi fidem seruaret, Sanctorum in Carceribus detentorum satagebat, & propter vitæ puritatem, & virtutum exercitationem prauos spiritus ex
homi-

hominibus fugabat. delatus autem quod esset Christianus, ductus ad Imperatorem, abiecta Zona, Christum confessus est. quare suspensus lampadibus comburitur, & in lebetem picis plenum ardentem inijcitur: cumque admirabiliter seruatus, LXX. viros ad Christi fidem conuertisset, postremo in flumen deiectus, martyris coronam accepit.

Eodem die Memoria sanctorum martyrum Pasceratis, & Valentionis ex Dorostoro Mysiæ in legione quadam militantium Auloximi Ducis.

Eodem die Sanctorum martyrum Eusebij, Neonis, Leontij, Longini, & aliorum quatuor. Diocletiani Imperatoris iussu à quatuor Carnificibus caesi, & suspensi, eo usque laniati, quoad carnes eorum in terram defluerent, & viscera ipsa nudata sint; postremo securi percussi sunt.

Die XXV.

Sancti Apostoli & Euangelistæ Marci qui post prædicatum Euangelium Ægypto, Libyæ, & Pentapoli, apud Alexandriam funibus vinctus, laniatus est.

Die XXVI.

Sacrosancti martyris Basilei Episcopi Amasiæ, qui sub Licinio Imperatore, pro Christiane confessione Nicomediam ductus, sententiam accepit, vt gladio percuteretur. ceruice igitur truncata, nauigio imponitur, caputque eius ex altera parte, ac corpus vero ex altera in mare proiectum est, quæ coniuncta iterum sunt secundum naturalem harmoniam; ita vt inuentus fuerit sanctus martyr integer à piscatoribus quibusdam iuxta Sinopem in sinu quodam, in quæ cum sagenam demississent, & in continentem extraxissent quemadmodum Elpidiphoro, quam primum sanctum illum virum excepit, Nicomediæ Angelus dixit; qui cum Theotimo,

timo, & Parthenio Diaconis ex Amasia venerant, extructū ex sagena susceperunt, & unguentis, & canticis honorantes in urbem Amasiam transmiserunt.

Die XXVII.

Hierosolymis sancti martyris Symeonis Episcopi Hierosolymorum, consanguinei Domini nostri Iesu Christi. post multos cruciatus, cruci affixus, martyrij coronam consecutus est.

Eodem die Sancti Patris nostri Ioannis confessoris Abbatis monasterij Catharorum. Hic sub impio Imperatore Leone, pro sanctarum Imaginum defensione, cum in exilium mitteretur, conuocans multos, eosque admonens, Vigilare inquit, Patres, & Fratres, ne à Diabolo, ad negandam sanctarum Imaginū venerationem, subripiamini: ductus autem ad Imperatorē, libera voce impietatem illi exprobrans, iussus est in oculos verberari, ac ferreis catenis vinctus exul mittitur in castrum * Pentadactylum nomine, ibique ligatis pedibus carcere inclusus decem & octo menses detentus est. Post hæc in urbem ipsam in conspectum Imperatoris tanquam ad triumphum duxerunt. Denique post multas ærumnas cum alijs plurimis relegatus in Insulam Aphrosiam. Exactis illic duobus annis & dimidio, visione quadam admonitus, cum his, qui cum illo erant, obitum suum prædixisset, migravit ad Dominum.

Μερα: πεντα
δακτυλου
εν τη χωρα
της λαμπης.

Eodem die Sanctorum Aristarchi, Marci, & Zenonis. fuerunt hi tres ex LXX. Aristarchus hic est, cuius meminit Apostolus Paulus ad Romanos scribens,

Menza Gr.
Apameæ Sy-
riae.

bens, * Amaseæ Syriae Episcopus, quippe qui Christi Eu-
angelium illic prædicauit. Marcus vero est, quem consue-
to nomine Ioannem vocabant, cuius Lucas meminit in
Actibus Apostolorum; fuit autem Episcopus ab Aposto-
lis in Bibliopoli. Zeno hic ille est, quæ Paulus Apostolus
ϑεομικτὸν appellat, ad Romanos scribens; qui cum à Beato
Petro in Diospoli primus Episcopus esset constitutus, do-
cebat prædicans Christum esse Deum verum. Hi igitur
cum multas ærumnas ab infidelibus pro ædificatione Ec-
clesiarum, & euerfione Idolorum passi, multorumq; mira-
culorum & sanitarum effectores essent, ad Christum Do-
minum migrauerunt.

Die XXVIII.

Prusæ.

Sancti martyris Patritij Episcopi * Prusæ. Hic à pue-
ro cum esset optimis moribus institutus, & virtute, & sa-
pientia insignis, Episcopus Prusæ creatus est, quo in
munere ita se gessit, vt propter eius in Christi fidem, ardo-
rem, ac studium detentus, ab Idolorum cultoribus Præ-
sidi oblatu fuerit, cui libere vanitatem gentilis supersti-
tionis arguens, multis tormentorum generibus crucia-
tus, postremò gladij supplicium pertulit, & sic martyris
palmam assecutus est.

Die XXIX.

De Iasone die
XII. Iulii de
Sospatre die
XXV. Iunii,

Sanctorum Iasonis, & Sospatri. Fuit autem Iason ex
vrbe Tarso, primus ad Christianam pietatem conuersus.
Sospater verò ex Achaia ortus, post Iasonem Christi fi-
dem amplexus est, vterq; vero fuit Pauli Apostoli disci-
pulus, & Iason quidem patriæ suæ doctor extitit, Sospa-
ter vero Iconiensium Ecclesiæ clauum suscepit; cumq;
multos ad Christi fidem conuerterent delati apud Cer-
cyllinum regem custodia traditi sunt; quo loco erant se-
ptem latronum duces inclusi, his omnibus Saturninus Ia-
cischolus,

ciscolus, Faustianus, Ianuarius, Marfalius, Euphrasius, & Mamminus: quos tam dictis quam factis admirabilibus ad Christi fidem traduxerunt, ex lupis oves effectos, qui in lebetes pice, sulfure, & cera plenos iniecti martyrij coronas à Christo perceperant, quin etiam custos carceris propter eandem in Christum fidem sinistra manu, & duobus pedibus excisis, truncatur capite, Christi Domini inuocans nomen, Iasonem vero & osipatrum e ductos è carcere, Carpiano Præsidi cruciandos tradidit; quos examinatos rursus in carcerem victos coniecit. Hos viros sanctos cum Cercyra Regis filia victos vidisset, idq; ob Christi fidem eos pati didicisset; Christianam se esse professa est, ornatum omnem, quem gestabat, pauperibus distribuit, quod cum pater audisset, eamq; à proposito auerrere non posset, in carcerem conijci iussit, eamq; Æthiopi cuidam nequissimo vitiadam tradidit; qui cum carceris ianua ad corrumpendam virginem accessisset, repente à fera quadam dilaniatus est. Quod cum audisset puella ipsa, eum curatum, à fera liberavit, Christianumq; effecit, ita vt Æthiops ipse clamarit, Vere magnus est Deus Christianorum. Mox à Tyranno grauitè cruciatus è vita migravit. Qui vero milites carcerem custodiebant, ligna multa congefferunt, & igne accenso virginem comburere conati sunt, in quem coniecta, cum illa sa permanisset, multos ad Christi fidem traduxit. Post hæc in ligno suspenditur & fumo densissimo tam diu subijcitur, quoad spiritum suum Deo ipsi tradidit. Quo facto persecutionem aduersus Christianos commouit Rex, & sanctis vitis, qui in adiacentem Insulam confugerant, supplicio affectis, reuertens, cum esset in medio pelago, vt olim Pharao submersus est. Itaq; populus Domini gratiarum Hymnos Deo ipsi obtulit. Iason vero & Sosipater è carcere

è carcere liberati, verbum Dei sine impedimento prædicabant. Postea verò quàm surrexit nouus Rex, & de sanctis illis viris didicisset, iussit lebetem ferreum illuc ferri, in eamq; inijci picem, resinam, & ceram, ac vehementer accendi, & sanctos Iasonem, & Sosipatrum in illam demergi: sed nihilominus sancti quidem illi seruati sunt incolumes: infideles vero multi combusti. Quod videntes plurimi ad Christum ipsum concurrerunt: Rex verò suspensio lapide ex collo clamabat, Deus Iasonis, & Sosipatri miserere mei: quem cum ita lamentantem Beatus Iason vidisset, omnem populum admonens, & docens, & catechismo instructum baptizauit, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti; quem Sebastianum nominauit. non post multos dies filius Regis in morbum incidens mortuus est, quem sanctus Iason suis precibus è mortuis suscitauit; multaq; alia cum edidisset miracula & pulchra templa crexisset, aliaq; omnia, benè & sanctè perfecisset, aucto Christi grege, in senectute laudabili, ad eum quem tantopere desiderabat Christum, migravit.

Eodem die sanctorum septem martyrum latronum, à sancto Iasone ad Christum conuersorum, qui in lebetem pice feruentem coniecti, consummati sunt.

Item sanctæ Cerceræ filia Cercyllini Regis, quæ sagittis vulnerata martyrio fruita est.

Eodem die sanctorum martyrum Zenonis & Vitalis igne consummatorum.

Eodem die sanctus martyr Eusebius pro Christiana confessionem martyrio consummatur.

Eodem die Onesiphorus Episcopus Losonis & Eudius

dius á beato Petro Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus constitutus, post multos cruciatus, & plurimos ad Christi fidem conuersos & ipsi ad desideratum Dominum peruenunt, Cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Eiusdem mensis die XXX.

Sancti Apostoli Iacobi fratris Ioannis Theologi, qui propter Christianæ fidei confessionem ab Herode Rege securi percussus est.

Eodem die sancti patris nostri Donati Episcopi Aureæ.

Item sancti patris nostri Clementis Poëtæ, & sancti martyris Maximi, qui cum literam X mediam inuenisset, enssem per ventrem infixum significauit.

Eodem die Inuentio reliquiarum sancti martyris Basilici Episcopi Amasææ.

Eodem die sancti Patris Donati Episcopi Eurocæ sub Theodosio Magno imperatore.





MENSIS MAII.

Die primo.

COMMEMORATIO sancti Prophetæ Hieremiæ, qui fuit sanctificatus ex utero matris suæ, lapidatus à populo, mortuus est apud Daphnas Ægypti.

Eiusdem mensis die II.

Sancti Patris nostri Athanasij Magni Patriarchæ Alexandria, qui pro Christi fide orthodoxa multos labores, & persecutionum certamina, exilia, calumnias, & cauillationes perpeffus est.

Eodem die sanctorum martyrum Exuperij, Zoes coniugis, filiorum, Cyriaci, & Theoduli sub Adriano Imperatore.

Die III.

Sanctorum martyrum Timothei & Mauræ coniugis. delatus autem Timotheus apud Præsidem Thebaidis Arianum, vinctus est in rota, & frenum in os illius coniectum est, atq; suspensus est capite in terram verso, alligato ad collum saxo, quibus omnibus, cum non cederet Beatus martyr Timotheus, sperans Præfectus fore, vt Mauram eius vxorem ad Christum negandum adduceret, blandicijs & adulatione illam aggredi cœpit, suadens, vt Idolis immolaret; quæ cum renueret, coram Præside se Christianam esse confessa est. quare crines à capite ipsius auulsi, & digiti abscissi sunt, & in aquam feruentem immersa est. Quæ cum nihil læsa esset, suspicatus est Præfectus, aquam illam non fuisse calidam, sed frigidam.

gidam, idq; vt experiretur in manus suas aspergi iussit. Itaq; sancta Maura cum aquam ex lebete manu hausisset & iniecisset in manū Præsidis, pellis ipsius defluxit. Quapropter vtrumq; crucifigi iussit Præfectus. cum vero nouem dies Beati coniuges suspensi mansissent, se vicissim hortantes, vt forti animo tormenta perferrent, ita animas suas Domino tradiderunt.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Diodori, & Rodopiani Diaconi, qui fuerunt tempore Diocletiani Imperatoris, & propter Christianæ fidei confessionem à proprijs ciuibus iniurias multas, verbera, & flagella perpeffi apud Aphrodisiam urbē Caryæ à carnificibus lapidati, spiritus Domino ipsi tradiderunt.

Di IIII.

Sanctæ martyris Pelagiæ, quæ fuit ex Tarso Ciliciæ temporibus Diocletiani Imperatoris. hæc cum audisset de Christi fide, & cuperet scire qualis nā hic esset, * Oartum alii Clinonem vocant, Episcopum Baptizantem animaduertit; cumque dimissa esset à matre, quasi ad nutricē abire vellet, Episcopū adiit, qui diuina inspiratione commotus, illam accepit, & baptizauit: quod cum audisset Imperatoris filius, & amoris esset impatiens, se ipsum interfecit: Diocletianus vero accersitam Virginem, cum à Christi fide amouere non posset, bouem æreum accendens, in illum Virginem contecit, in quo finem & confessionis coronam accepit.

Eodē die Memoria S. Patris nostri Nicetæ, presbyteri, Abbatis monasterij * Mecidij. Hic cum Virginitatis, & continentiæ desiderio teneretur, habitabat in montibus, & diuina prouidentia ductus diuinus Oeconomus effectus est; & fidelis mysteriorum operator. Itaq; vt sacerdos sacro gregi præfectus est, expulsus vero ex grege ab Im-

3. Apr. videtur appellari hoc monast. Medicum; nisi sint diuersa. Vtrobique tamen cū nostro conueniunt. Menzan

Imperatoribus sanctarū Imaginum, exilijs grauissimis, & acerbissimis subiectus est, cumq; Athleta fortissimus, & in uict^o in fide peristeret, ut firmus miles omnē vim lethale cum Deo pugnantium hæreticorum despuit, ex quo pro duplici confessionis & monasticæ exercitationis lumine duplicem coronam de manu Domini accepit.

Eodem die Sancti Patris nostri Hilarionis miraculorum effectoris.

Die V.

Sanctæ Magnæ martyris Hirenæ.

Die VI.

Sancti & iusti viri, ac patientissimi, Prophetæ Iob commemoratio, cuius historia celeberrima est diuinis literis commendata.

Eodem die sancti Parmenæ, vnus ex septem Diacōnis, & Sanctæ Euthaliæ.

Eodem die Sancti Quinti miraculorum effectoris, sancti Troadij, & Dormitio sanctorum Andronici Athanasia, Theodoretī Antiochiæ.

Eodē die sacrosancti martyris S. Theodoti Episcopi Cyreniæ, Cypri, sub Licinio Imperatore, & Sabino Præside, cui assistens neruis verberatur, deinde suspenditur, ac laniatur, & in grabatum ferreum accēsū extenditur, postea in carcerem coniectus cessante persecutione, decreto Constantini Magni, à custodia liberatur, & duobus annis postea migravit ad Dominum, ad gloriam, & laudem Dei qui illum gloriosum effecit.

Eiusdem mensis Die VII.

Commemoratio signi quod in cælo apparuit, preciosæ crucis, hora tertia diei sub Constantio Imperatore filio Constantini Magni. Et sanctorum martyrum Acatij, & Quadrati; fuit autem Acatius Maximiano Imperato-

re Cappadox genere legionis Martiæ, ductus ad Phir-
 mum Præfectum confessus est nomen Christi. Itaque
 plurimum cruciatus missus est ad Bibianum, alterum Præ-
 fidem, qui cum alijs vincis ductus est Bizantium, vbi mul-
 tis flagellis cæsus, in carcerem coniectus est, & ab Ange-
 lis sanus effectus, postea ad alium Præfidem Phylacidia-
 num mittitur, cuius iussu caput eius abscinditur, celebra-
 tur autem ipse sollemnis dies in sancto eius martyrio.

Menæ Gr.
 Phylacillianæ
 vocant,

Die VIII.

Sancti gloriosi Apostoli, & Euangelistæ Ioannis Theo-
 logi. Et Sancti Patris nostri Arsenij Magni.

Eiusdem mensis Die IX.

Sancti Prophetæ Isaia & sancti martyris Christopho-
 ri, fuit Isaias inter Prophetas maximus, mortuus est au-
 tem sectus serra lignea à Manasse Rege filio Ezechia.

Certamen magni martyris Christophori. Hic sub De-
 cio Imperatore baptizatus Antiochiæ à sancto Babyla
 propter Christi confessionem simul cum Callinice & A-
 quilia, quas ad fidem conuerterat, capite detruncatus
 est.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Epima-
 chi, & Gordiani, quicum essent ex magna vrbe Roma
 detenti sunt, cumque cogerentur à Præfide Dijs immo-
 lare, Idolis sacrificare, nefarium facinus recusarunt, ob
 idq; plurima tormenta subeuntes securi percussi sunt.

Die X.

Sancti Apostoli Simonis Zelotæ. Hic Simon est Na-
 thanaël appellatus, qui Euangelij prædicationē in omnē
 Mauritaniam & Aphrorum regionem sparsit, postremo
 Britanniam profectus, cum multos Euangelij verbo
 illu-

illustrasset, ab infidelibus crucifixus, illic sepultus est, qui mores habuit Zelo quem nomine proferebat.

Eodem die certamen Sanctorum Alpei Philadelphi, Cyrini, & sociorum. Hi erant ex Regione Bazachinorum Praefectorum.

Eodem die martyr Hesyhij.

Sancti martyris Mochij, & Genethliacus dies Constantinopolitane urbis. Fuit hic sub Diocletiano Imperatore, & Laodicio Proconsule Europæ, ex Antiquiore Roma, cumq; nullis cruciatibus flecti posset, ut Christianam fidem abnegaret, postremo duabus rotis alligatus, neq; ea re læsus, feris obijcitur, à quibus cum esset liberatus, populo ipso clamante, oportere illum dimitti, ablegatur ad Philippos in Perinthum urbem Thraciæ, quæ nunc Heraclæa dicitur, atque illic ense obruncatur, & tunc quidem illic sepultus est, postea verò Constantinus ille magnus Templo in urbe ipsa constructo sancti martyris reliquias in illo studiose ac reuerenter collocavit.

Eodem die Certamen sancti martyris Dioscoridis. hic fuit ex urbe Smyrna, qui cum ad eius urbis Praesidem accessisset, vincens carcere includitur, postea interrogatus cum in Christi fide constanter permaneret, iussu Praesidis interficitur.

Eiusdem mensis die XII.

Sancti patris nostri Epiphaniij Archiepiscopi Constantiæ Cypri. Hic fuit ex regione Phœnicie ex urbe Eleutheropoli, parvitas quidem obscuris, sed Iudæis scientia, vitæ merito & toti orbis testimonio insignis, ut Beatus Hieronymus de illo testatur, qui & patrem penè omnium Episcoporum, & antiquæ reliquias sanctitatis appellat. Hic cum plurimum pro Christi Ecclesia laborasset, cum centum, & quindecim annos, tribus mensibus minus vixisset, de-

cimo

uino Christi Euangelio propria manu in pectore posita his qui cum eo erant, beneprecatus, obdormiuit.

Eodem die sancti patris nostri Germani Confessoris Archiepiscopi Constantinopolitanæ vrbis. Hic fuit filius Iustiniani Patritij viri illustris ac celebris, qui sub Heraclio Imperatore plurimos magistratus gessit, quem, cum ob egregiam pietatem in admiratione haberetur senatus, Heraclij filius inuidiæ liuore commotus interfecit, & Germanum eius filium puerulum exercuit, & magnæ Ecclesiæ clero aggregauit; vbi tantum profecit virtute & diuinarum litterarum, vt primum Ecclesiæ, quæ in Cyco est, Episcopus electus fuerit, postea cum maiore cura Constantinopolitana Ecclesia indigeret, ad illius regimē translatus est; vbi cum multiplici doctrina populum instruxisset, altioresq; diuinæ scripturæ sensus interpretatus esset, & Ecclesiam ipsam canticis & sermonibus exhilarasset, posteaquam Leo Isaurus (ad illius enim vsque tempora sanctus Germanus peruenit) sacras imagines destruere aggressus, neq; admonitionibus adduci potuit à cultu sanctarum imaginum, neq; vllis argumentis aut demonstrationibus Imperatori Leoni persuadere potuit, sacris imaginibus honorem tribui oportere; quin imò compositos à sancto illo viro de orthodoxa fide libros combussit. Quod cum animaduerneret, deposito in sacro altari pallio, ad priuatam domum secedens, quietem amplexus est, & annum ætatis agens nonagesimum migravit ad Dominum.

Die XIII.

Sanctæ martyris Glyceriæ. Hæc fuit temporibus Antonini imperatoris, & Sabini Præsidis in vrbe Traianopoli, cumque fronti preciosam Christi crucem inscripsisset

e

venit

venit ad Præsidentem, seque Christianam esse professâ est: admonente autem Præsidente illam, vt dijs immolaret, ingressa in templum, & Christum precata, deiecit Iouis simulachrum, & comminuit. Quod cum vidissent Gentiles, lapides iecerunt in eam, qui ad illam vsque peruenire non poterant. Itaque crinibus suspensa, pectinibus laniatur. Deinde in carcerem coniecta multis diebus ieiuna detinebatur: sed ab Angelo alimoniam accipiens, nihil eorum passa est, quæ per famem passura esse credebatur. Quæ res stuporem attulit Præsidi, & ijs qui cum eo erant, cum verò inuenissent lancem, lac, panem & aquam carcere clauso allata. Posthæc iniecta est in caminum ardentis ignis, vnde rore defluente ignis extinctus est, & sic exijt incolumis, mox manibus, & pedibus loro vincita est, stratisq; silicibus in carcere imposita est, vbi ab Angelo erepta ex vinculis, cumq; sana inuenta esset, custodem carceris attonitum reddidit, qui repete Christum confessus, capite obruncatus est. Martyr vero Glyceria ad Præsidentem ducta feris exponitur, quarum vnus exiguo morsu atacta, ita vt neque plaga, neque luor appareret, Deo ipsi spiritum tradidit, & in vrbe Heraclea deposita est.

Eodem die sancti martyris Alexandri sub Maximiano Imperatore, & Beriano Comite, quo Idolis immolante cum sua cohorte Alexander miles sacrificare non est passus, sed insanos illos vocans redarguit, vt dæmonum cultores. Detertus igitur ductus est ad Maximianum, qui aggressus est illum à Christi fide abducere: Alexander verò in cælum intuens, vidit filium Dei, eiusq; facies ita illustris effecta est, vt Præsides desperarit aliquid posse in eo iuxta animi sui sententiam efficere. Quamobrem illum tradidit Tiberiano Tribuno ex vrbe Roma Bizantium

tium vsque ducendum, & in itinere cruciandum. & primum accensis lampadibus eius latera combusta sunt, deinde spineis virgis cæsus est, matre eius *Poemenia* sequente, quodq; futurum erat metuente. Cum autem venisset *Philippus* gauisus est, quod Christiani qui in illa vrbe erant, occurrissent, quippe qui eius vincula osculabantur. Cum vero *Beriam* venisset, & illic aquæ penuria laboraret, precibus aquæ fontem eduxit, qua accensa oleum in eo calefactum est, vt in sanctum virum funderetur, quod effusum in Carnifices transfusum illos flammis consumpsit. Cum vero peruenisset *Dioriparū* apud præter fluentem fluuium capite obruncatus, martyrij coronam assecutus est.

Eodem die *Sergij* confessoris. Hic beatus *Sergius* nobili genere exortus, eo quod sanctarum Imaginum venerationem amplecteretur, persecutori & impio Regi oblarus est, cumque multis, & varijs tormentis tentatus esset, vt sacras imagines abnegaret, quiduis pati maluit, quam execrabile facinus perpetrare, & diuinas Patrum constitutiones violare; eductus postea è carcere, & facultatibus omnibus priuatus, cum vxore & filijs in exilium mittitur, vbi multis, & varijs ærumnis fortiter resistens, migravit ad Dominum.

Eodem die sancti patris nostri *Pausiaci* Episcopi Synadorum. Hic patriam habuit *Apameam*, parentibus ortus insignibus, ac Christianis, arte medicus, obiitque orbes, & oppida, ægrotos curans; post hæc effectus Monachus continentia, ieiunio, & oratione vtens, solum panem & aquam adhibebat, quibus virtutibus
 CYRIACVS Patriarcha CONSTANTINOPOLI-
 tanæ

politanae urbis commotus Episcopum Synodorum constituit, Imperatore Mauritio, quem à periculosissimo morbo curauit. hic copiosam aquam in diuersis locis scaturire fecit, qui cum ad summam senectutem peruenisset, usque ad tempora impij Leonis, migravit ad Dominum.

Die XIV.

Sancti martyris Isidori. fuit Isidorus temporibus Decij Imperatoris ex vrbe Alexandria, militarem ordinem ducens. cum verò nauigasset in insulam Chium, vna cum militaribus nauigijs, quibus imperabat Numerius, delatus est à Iulio Centurione quod Christum coleret, & suorum Deorum cultum execraretur; neque illis offerret victimas, cumque sanctus Isidorus magna voce à se Christum coli confessus est, & Numerius immutabilem eius sententiam perspiceret, iussit post multos cruciatus caput abscindi; & ita martyrij coronam accepit.

Eodem die sancti martyris Maximi. Hic cum libera voce Christum predicasset, & multos ad Christianam pietatem perduxisset, variasque iniurias, & plagas ab infidelibus pertulisset, postremo lapidibus percussus, & tanquam ab illis coronatus migravit ad Dominum.

Die XV.

Sancti Patris nostri Pachomij Tabennesiote. Fuit Pachomius sanctus ex Thebaide inferioris Aegypti, Constantini Magni temporibus: habuit autem parentes Idolorum cultores; conuersus autem ad Christi fidem baptismum suscepit, & monasticam vitam amplexus, ad eremum accurrit, vbi perfectam vitam assecutus virtutibus, & miraculis clarus multos sui sectatores effecit, vt antequam ex hac vita decederet, monachorum, qui per illum effecti sunt, mille & quadringentorum numerus effectus sit.

Eodem

Eodem die Sancti Patris nostri Achillij Metropolitanæ Larissæ vrbis. Hic fuit sub Constantino Magno pijs ortus parentibus, quorum diligentia, pietatem cum externis disciplinis, eruditus est; cumq; esset vita, & moribus excellens, effectus Pontifex secundæ Thessaliæ in Larissa vrbe, ab omnibus Græciæ incolis prædicatur. Hic & in magna Niceæ habita synodo, vna cum illis sanctis Patribus laborauit, concertans, & Arium hæreticum, & eius socios expugnans, atq; anathemati subijciens, rursus in urbem Larissam reuertitur, vbi cum plurima templa Idolorum euertisset, & dæmones ex hominibus expulisset, alijq; plurimis editis miraculis in pace vitam exegit; oratoria multa à fundamentis erexit, atq; varie ornauit.

Eodem die Theodori Sanctificati. Hic Beatus Theodorus cum Dei legem meditatus esset, castissimo animo totus purus effectus, & vas vtile ac sanctificatum ostensum est, supergrediens visibilibus rerum sensum, cum sancto Pachomio & contubernio, & moribus coniunctus, & vere dignus, qui Sanctificatus appellaretur: quippe qui miraculorum operatione diues factus est. Cum igitur tam bene vitam egisset, in summa senectute migravit ad Dominum.

Eodem die Sancti Patris nostri Georgij Metropolitanæ Mitylenæ. à puero monachicam vitam subiens in summa se exercuit humilitate, ac perfecta mansuetudine, ex quo factum est, vt Metropolitanæ Ecclesiæ Mitylenæ creatus sit, vbi misericordiæ, cuius mirum in modum amator fuit, opera exercens, esurientibus opem tulit. Cumq; omnem prauam opinionem oppugnaret, & orthodoxæ fidei acerrimus esset propugnator, & laudabiliter ac religiose vitam transegisset, migravit ad Dominum, diuinam reliquia-

rum suarum arcam, post mortem relinquens multorum miraculorum effectricem.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Petri, Dionysij, Christinæ Virginis, Andreae, & Pauli. Fuit sanctus Petrus ex vrbe Lampaco, qui ductus ad Decnum Præsidem Abydini, & iussus Veneri sacrificare, idq; recusans, & Christum Dominum confessus, lignis, toto corpore comminuto, tradidit spiritum. Paulus vero & Andreas, ex Mesopotamia genus ducentes, vna cum Decno sub quo militabant Athenas venerunt, detentos autem Dionysium, & Christinam, iussit Præsides custodiri sanctam vero Christinam Virginem illiciebant ad coitionem, quod cum illa renueret, vim non intulerunt, sed eius admonitionibus disuasi in Christum Dominum crediderunt, ex quo factum est, vt ipsa, & Dionysius iussu Præsidis lapidati sint, Christina vero virgo illa sancta, capite obruncata est.

Eodem die Monachorum in Monasterio sancti Sabæ interfectorum, & sancti Patris nostri Alexandri Episcopi Hierosolymorū. S. Euphemie sanctorū martyrum Audelii Episcopi, presbyterorum sexdecim, Diaconorū nouem, Virginum septem ex Patria Charchar. Et certamen sanctorum martyrum Bachthisi, Isacij, & Simeonis. Hi omnes Christum profitentes, & in Perside Regione prædicantes detenti adducti sunt ad Præsidem à quo cum cogererentur Idolis immolare, nec vellent, diuersos cruciatus perpeffi, in ignem vna cum discipulis suis coniecti, martyrij coronam acceperunt.

Die XVII.

Sancti Andronici & Iuniae. Hic cum orbem terrarum percurisset, & Christum Dominum prædicans, admirabilem Iuniam mundo ipsam mortuam, & Christo soli viuca-

viuentem, comitem habens, errorem Gentilium abstulisset, multis ad veri Dei notitiam adductis, Idolorum tēpla subuertentes, diuinas Ecclesias, vbiq̄ gentium ædificauerunt, immundos spiritus ex humanis corporibus expulerunt, insanabiles morbos curarunt; & cum humanæ naturę essent participes, commune debitum exoluerunt. Horum meminit magnus Apostolus Paulus in Epistola quam scripsit ad Romanos, Salutate, inquit, Andronicum, & Iuniam cognatos & conceptiuos meos qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.

Eodem die Sancti martyris Solochani, & sanctorum martyrum Heraclij, Paulini, & Benedimi. fuit Solochanus sub * Maximiano Imperatore, Ægyptius genere miles sub Tribuno Calypano cum tribus millibus aliis militibus. Cumq̄ Imperatoris iussu ex Ægypto Chalcedonem venisset, & Imperator ipse præcepisset Duces cogere milites sibi subditos Idolis immolare, & singuli cum suis ordinibus sacrificia offerrent, Calipanus suam quam ducebat legionem, Imperatoris præceptum implere cogebat. omnibus igitur immolantibus, tres soli restiterunt, Solochonius, Pamphamer, & Pamphalus, qui se Christianos esse cum prædicarent, adeo sunt verberibus cæsi, vt præ fatigatione Domino spiritus tradiderint Pamphamer, & Pamphalenius; Solochono vero aliquātulum conualescenti ense os ipsum scissum est, cuius partem morsu cum sanctus vir ille fregisset, vincula quibus circumdatus erat perfregit, & in cōspectu Tyrannj astitit. Itaq; vinc̄ funib⁹ in stadio supra acutas testas septies tract⁹ est, postea dextera manu ligatus in trabe dom⁹ suspensus est,

saxo-

Maximiane.

saxo in sinistro pede ligato grauatus: sed fune ipso disrumpo in terra rectus stetit. Quare Copanus Præses exca-
descens calamum scribæ acceptum in aurem eius infixit,
& ita spiritum tradidit.

Die XVIII.

Sanctorum Christi martyrum Thecusæ, Alexandræ,
Claudiæ, Fainæ, Euphrasæ, Matronæ, Iulittæ, Theodo-
ri & Theodoti. Fuerant hæc ex Ancyra vrbe Galaciæ; ex
quorum numero honestus Theodotus vxore vinctus, non
eius ipsius occupatione impeditus est, quò minus diuinæ
pietati vacaret, sed prætextu quodam mercaturæ fru-
mentum emens & panem efficiens Deo ipsi offerebat, &
egenis hominibus suppeditabat, eo quod magistratus
ipse iusserat ex Idolothytis Christianorum cibaria macu-
lari: quin etiam ad carceres accedens, fideles homines cõ-
firmabat, deinceps virgines adeundo idem faciebat, qua-
rum virginum vna Thecusâ nomine amita eius erat,
cum vero adductæ essent Virgines illæ ad Præsidem, ex-
positæ sunt iniuriæ, sed Christi gratia seruatae sunt incor-
ruptæ, postea lapidibus alligatæ in paludis profundum
deiectæ sunt, quarum sanctas reliquias collectas Theo-
dorus sepeliuit, quare delatus est Theochinus Præsidi
oblatus Christumq; ipsum Deum esse confessus, suspen-
sus est, & dilaniatus salsa aqua cum aceto mixta laniatis
infusa est, & lapidibus maxillæ contractæ sunt, adhæcen-
se percussus migravit ad Dominum.

Die XIX.

Sanctorum Patricij, Episcopi Prusæ & sociorum Aca-
tij Menandri, & Polyæni. Patritius hic vocatus ad iudi-
cium propter Christi fidem additit Iulio Præsidi, qui
cum eo persuaderi non posset, vt quod confessus fuerat,
abnegaret, iussu Præfecti in feruentes aquas iniectus est,
quibus

quibus cum læsi essent, qui eum iniecerant, ipse vero incolumis euasisset, postremo ense obtruncatus est cum Acacio, Menandro & Polyano. Agitur autem eorum celebritas in die sanctissimæ Dei genitricis.

Eodem die certamen sancti martyris Philoteri qui fuit ex vrbe Nicomedia filius Patiani pro cōsulis, viri nobilis, pulcher & speciosus. Hic cum adstitisset Diocletiano Imperatori, & de Christi fide cōstanter differuisset, cōiectus est in fornacem ardentis ignis, cumq; illinc exisset incolumis, miratus Diocletianus illum dimisit. Cū vero Imperator ipse diem obijisset, & Maximianus eius gener Regno successisset, Christiani homines anno vno quicuerunt. Postea cum alios omnes persecutores Maximianus superare studeret, captum sanctum virum iuuenilem etatem habentem, quatuor palis alligatum à carnificibus verberari iussit, quem ab illius tremente machina solutum, suspēdi, & ense lacerari, & mox in feras tradi præcepit, ex quibus cum illæsus euasisset, multos ad Christum Dominum cōuertit, qui postea ense percussi martyrio coronati sunt. posthæc adductæ sunt ad Tyrannum sex virgines quibuscum erat soror martyris Theotimi: Vna ex illis erat virgo Cyriaca nomine, decimum octauum annum agens, quæ & Imperatorem ipsum affecit contumelia, ob idque immaniter verberata est, quater suspensa, & gladio lacerata, cumque adhuc viueret, in ignis flammam deiecta est, vbi hæc spiritum Deo commendauit, Philoterus vero Proconesum ad lapidicinam damnatus mittitur, similiter & virgines. cumq; multa signa martyr fecisset, ad sanctum Eubiotum profectus, post septem dies defunctus est. Comes vero & qui cum eo erant cū credidissent & Baptizati essent, quæque illic essent idola omnia confregissent in pace dormierunt.

f

Certa-

Certamen sancti martyris Thallelæi & sociorum. Hic fuit Numeriano Imperatore patre Berutio, & matre Romula, ex Libano genus ducēs, medicæ artis peritus, detentus autem in Azarbo Cilicie, ductus vero ad Theodorum Præsidem, cum persuaderi non posset, ut Idolis immolaret, iussit Præsides eius ipsius talos perforari, & in caput funibus suspendi. Quod cum ministri facere sibi viderentur, diuino quodam instinctu, alienatis mentibus lignum pro sancto illo viro perforatum suspenderunt; cum vero Præsides ipse se ab illis illudum existimaret, multis verberibus & flagellis eos cædi præcepit; martyrem vero in mare demergi iussit, vnde exijt incolumis veste alba indutus. Id cum vidissent duo viri Alexander, & Asterius crediderunt in Christum & securi percussi sunt. Postea martyr apud Edessam Eciensem ciuitatem, capite obruncatus est.

Eodem die sancti martyris Aquilæ. Hic fuit ex Thebaide Ægypti, qui propter Christi fidem accusatus, & ductus ad Arianum Præsidem, & libera voce Christum confessus, suspensus pectinibus laniatur, & in carcerem conjicitur. Cum verò Præfectus ipse nauigio vectus transferret fluuium, orauit sanctus vir, ut ille in terram non deduceretur, priusquã scripto Christi deitatem confessus esset, cum igitur ille detentus ex fluuio egredi non posset, misit sanctus vir, qui diceret se alio modo ad continentem exire non posse, nisi Christum, Deum esse, scripto confessus esset, neque alium præter ipsum esse Deum.

Commemoratio religiosissimorum Imperatorum Constantini, & Helenæ. Hic beatus Imperator fuit filius Constantis Chlori & Helenæ venerabilis. Constans
eni n

enim frater cōsobrinus erat Claudij Cæsaris Romani Imperatoris ante Diocletiani & Carini Imperium, quibus Christianos homines cruciantibus ipse Constans diuinam prouidentiam reueritus, eos misericordia prosequabatur. Hic Constantinum uicem filium genuit, primū Christianorum Imperatorem, quem & pietatem edocuit, &c.

Die XXII.

Sancti martyris Basilisci sub Maximiano Imperatore ex Regione Amaseæ: Hic propter Christi confessionem detentus ab Agrippa Præside, indutusq; crepidas ferreas ignitis clavis confixas, iussus est impelli per viam, quæ ducit ad Comanos. Cumq; in itinere venissent ad locum quendam, ubi erat mulier nomine Troiana, sanctum Basiliscum, uinctis post terga manibus in platano arida ligarunt, quam sanctus ille missis ad Deum precibus viridem reddidit, fontemq; è terra subito scaturire fecit, quod videntes milites cum muliere in Christum crediderunt. Cū vero ad urbem Comanorum venisset, neque persuaderi posset, ut sacrificaret, Deum ipsum precatus ignem è cælo demisit, qui Apollinis templum & Idolum combussit. Quare accensus Præsides obtruncari iussit martyrem Basiliscum, & in flumen demergi: Itaq; martyrij coronam assecutus est in laudem & gloriam Dei nostri Amē.

Die XXIII.

Memoria Sancti Patris nostri Michaëlis confessoris Episcopi Synadorum. Hic primum monachus, postea factus est Episcopus, quicum esset rectæ fidei obseruatissimus, Leonis Isaurici hæresin redarguens, propter sanctarum Imaginum venerationem, quam libera voce profitebatur, in exilium missus, cum bonum certamen & cursum consummasset, migravit ad Dominum.

Die XXIV.

Commemoratio Sancti Patris nostri Simeonis admirabilis. Fuit hic tempore Iustini maioris ex Antiochia Syria, patre Ioanne ex vrbe Edessa oriundo, matre Martha eius autem vita, & sanctitas tam insignis, atq; illustris fuit, vt verbis explicari non possit. Cum enim admirabili abstinentia multos annos in monasterio se exercuisset, descendit ex monte, atq; ascendit in columnam illam, in qua stetit annos decem & octo; cum antea in parua quadam stetisset quinque & quadraginta annos. Cum vero ageret annum octogelimum quintum, ex terrestri statu ad caelestem vitam, & aeternam requiem, migravit. Quanta vero fuerit Simeonis cognomēto Stylitæ sanctitas & fama celeberrima, testes sunt Theodoretus Cyri, & Euagrius, in his quæ de sanctorum rebus gestis monumenta reliquerunt.

Eodem die Certamen sancti Meletij Ducis exercitus, Ioannis & Stephani Comitum: & multitudo eorum, qui cum ipsis certamen sustinuerunt ducentorum quinquaginta martyrum, cum mulieribus & pueris. Cum sanctus Meletius Christi fidem libere & constanter profiteretur, & Idola execrabilia, quæ in Gentilium templis colebantur, precibus suis euerteret, à Maximo Præsīde missi sunt milites, qui Meletium, & qui cum illo erant, detinerent: ducti vero cum immolare nullo modo passi essent, baculis siluestribus cæsi, lateribus laniati & ferreis malleis contusi sunt, postremo in ligno clavis confixi, rursus ferreis malleis eorum frontibus verberatis, sanctus Meletius in pinu suspensus atque confixus, migravit ad Deum, Stephanus vero & Ioannes Comites

mites obruncati pro Christi fide, ipsi quoque occubuerunt.

in Eodem die Certamen sancti martyris Serapionis Ægyptij, & eorum, qui cum ipsis, eodem tempore passi sunt.

in Eodem die Certamen sancti martyris Serapionis & sociorum. Hic vna cum Callinico mago propter Christi fidem obruncatus est: Festus autem, Faustus, Marcellus, Theodorus, Melecion, Sergius, Marcellinus, cumque his Felix, Fotinus, Theodoriscus, Mercurius, & Didymus, quorum alij erant Comites, alij Tribuni, alij Principes, omnes in fornacem coniecti, martyrio consummati sunt. Milites vero qui cum sancto Meletio erant, gladio percussi; Sulanna vero, Martiana, & Palladia sanctorum martyrum coniuges cum suis infantibus iussu Præsidis à Carnificibus confractæ sunt, qui statim post commissum scelus animam efflasse dicuntur, quin etiam in ætate valde puerili Cyrianus & Christianus interrogati à Præside, vtrum Iupiter, an Christus illis videretur esse maior, cum Christum maiorem respondissent, obruncati sunt.

Die XXV.

Tertia inuētio venerandi Capitis gloriosi præcursoris Ioannis Baptistæ, quod cum multo antea fuisset absconditum, postea inuentum, non stanneo, vt prius, sed aureo vase inclusum ex Comanis allatum, vrbs Illustris, vna cum Pastore, & fidelissimo Imperatore ac populo exultans, excepit & fideliter venerata in sacro loco reposuit.

Die XXVI.

Sancti Carpi, qui fuit vnus è numero L X X. & minister Beati Pauli Apostoli in prædicatione Euangelij, qui & diuinas eius Epistolas, ad quos mittebantur, perferabat.

Eodem die Certamen sancti Apostoli fratris Domini, & filiorum ipsius, & sanctorum martyrum Abercij & Helenæ.

Die XXVII.

Certamen sanctorum martyrum Theodoræ, & Didymi. fuit sancta Virgo Theodora temporibus Diocletiani, & Eustrathij Præsidis Alexandriæ, quæ ad Præsidem ducta & Christum confessa, in lupanar tradita est. sed illa Christum Dominum precata, vt seruetur intacta, ita seruata est: Didymus enim quidam, cū esset Christianus, diuinitus inspiratus militari habitu indutus, ad illam ingressus est, quem cum vidisset virgo, timore correpta, in angulos domus aufugit, illam vero iuuenis hortatus, vt esset bono animo tanquam nihil passura eorum, quæ ipsa suspicabatur, militari habitu indutam, è cella exire iussit, ipse vero muliebri veste, & scæminæo capitis tegumento amictus, quasi illa ipsa virgo foret, sedebat. Cum vero intemperans quidam ingressus sub muliebri habitu, virum esse cognouisset, & Præsidi rem omnem aperuisset, statim ductus Beatus ille, capite obruncatus, in ignem deiectus est. Post hæc detenta sancta Theodora, securi percussa, migravit ad Christum Dominum.

Die XXVIII.

Sanctæ martyris Helconidis. Hæc fuit Gordiano, & Philippo Imperatoribus ex vrbe Thessalia; detenta vero ad

ad Perinium ducem Corynti, ducta Idolis immolare passa non est, sed Christum ipsum prædicans, primum alligata est pedibus iugo bouum, & prostrata soluto plumbo, asfalto, & pice illæta exijt; postea raso capite, igne tota perfusa est; postea dimissa ingressa in templum Idolorum, simulachrum Palladis, Iouis, & Æsculapij precibus in terram prostravit. Ad hæc sectis mammis, cum Iustinus Proconsul successisset Perinio, ad eum ducta martyr, in caminum ardentis ignis mittitur, sed flamma ipsa illam non attigit, verum septuaginta ex militibus consumpsit, postea in grabatum aereum ignitum expansa est, repente vero astiterunt Angeli Michael, & Gabriel, qui beatam martyrem incolumē seruarunt. Postremo feris exponitur, quæ illam ne attigerunt quidem, sed viros centum viginti interfecerunt. tunc latam sententiam Præsidis libentissime accipiens, secto capite migravit in cælum.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Crescentis, Dioscoridis, Pauli & Helladij.

Die XXIX.

Commemoratio sanctorum Patrum, qui in vrbe Nicæa primam synodum aduersus Arium celebrarunt, Item de Alexandro Archiepiscopo Alexandria, & de Ario.

Eodem die Certamen sanctæ martyris Theodosiæ virginis in vrbe Cæsarea. Hæc sacrosancta virgo ex vrbe Tyro, cum decimum octauum annum ageret, vincita ducta est ad iudices præsidentes, quorum primus erat Vrbanus, qui statim, virginem Idolis sacra facere iussit, cū verò persuasionibus nullum relinqueret locū, mammis & lateribus verberatur, ita vt ossa comminuta fuerint, & viscera denudata, cū vero flagris magis, magisque caderetur, & tormenta ipsa tacite sustineret, adhuc spirantem interrogauit
Præfe-

Præfectus, an dijs immolaret, illa vero erigens os, & iudicem ipsum intues, ridenti vultu dixit, Erras homo, nescis me cum Dei martyribus communionem dignam factam esse? ille cum se à puella ludibrio haberi cognouisset, amplius eam torquet, deinde in mare projicit, vbi Deo ipsi spiritum tradidit.

Eodem die sanctæ martyris Theodosiæ Constantinopolitanæ, & sancti martyris Olbiani Episcopi ciuitatis Aneo. Hic fuit Imperatore Maximiano, consulatu Alexandri & Maximi, Præsilibus Iulio & Æliano, à quibus interrogatus, cum sacrificare nolisset, nudus ignitis obeliscis transigitur, postea in custodiam missus est, ad secundam examinationem reseruatus; cumque in illa etiam constanter se gereret, lanarius, postremo in flammam accensam iniectis iaculis perfossus, spiritum Deo reddidit.

Die XXX.


Commemoratio sancti patris nostri Isacii Presbyteri confessoris. Hic oriundus ex partibus orientis cum venisset Byzantium temporibus Valentis Imperatoris Arianus cum Valens ipse ad bellum contra Gothos proficisceretur, obuiam venit beatus ille vir rogans, vt Ecclesias Orthodoxorum aperiret: cum vero id se facturum negans faciem auertisset, sanctus Isacius rursus anteuertens eadem rogabat, vt scilicet Ecclesias patefaceret, si vellet viuus reuerti; quod eum audiret Imperator, iratus propter eius viri libertatem, iussit verberari, & in spinas deijci: non destitit ille propterea, tertio apprehenso freno, eadem admoneret mortem ei prænuncians. quæ res in maiorem iracundiam illum incitauit. Itaque iussit Saturnino & victori custodiendum tradi, donec ipse in pace reuerteretur. Cui sanctus vir, situ inquit, in pace reuersus fueris, non est mecum locutus Deus. Fugiens ergo
facie

facie inimicorum tuorum per ignem vitæ finem accipies. Quod ita factum est: cum enim fugeret in Achyrone, cum Præposito, qui eum ad hæresim compulerat, & Imperatorem ipsum contra orthodoxos homines semper irritauerat, à Gotthis obsessus igni consumptus est ab hostibus, qui Achyronem incenderunt. Hac igitur libertate dicendi, & confessione alijsq; præclarè gestis magnus effectus, reliquam vitam cum laudabiliter, & sanctè Beatus Ilacius transegisset, translatus est ad Christum Dominum.

Die XXXI.

Certamen sancti martyris Hermia. Hic sub Antonio Imperatore in vrbe Comanorum, militarem vitam exercens ætate iam prouecta canos habēs, propter Christi confessionem detētus, cum renueret Idolis immolare primum maxillis verberatur ita vt pelle facies ipsa degluberetur, & dentes euellerentur, Postea in ardentem Caminum iniectus, illesus, ignem euasit, quo factò venenatis medicaments corrumpi iussus est, quæ cum bibisset, nihilominus incolumis permanisset, eum qui venena miscuerat ad fidem ipsam conuertit, qui Christum confessus, capite obruncatus est: Sanctus vero martyr diuisus totius corporis neruis in ardentis olei dolium inijcitur, ad hæc effossis oculis triduo capite in terram verso suspensus, postremo obruncatus, ad Deum ipsum translatus est.





IVNIVS.

Die primo Iunij.

ROMÆ sancti martyris Iustini ex Neapoli Syriæ, patre Prisco. hic venit Romam Antonino Imperatore, librosq; scripsit, quibus errorem Idolorum redarguit, & Christianæ fidei veritatem defendit. pro qua cum multos cruciatus pertulisset, sub Rustico Præside vna cum Charitone, Charitio, Euelpisto, Hierace, Peone, & Valeriano pro Christi confessione sanguinem fudit.

Eodem die sancti Firmi martyris, qui sub Maximiano Imperatore pro Christi fide comprehensus, ductus est ad Præsidem Magnum nomine cumque persuaderi non potuisset, vt Idolis sacrificaret, nudus neruis cæditur, suspensus laniatur, totiusque corporis compage soluta, postremo capite obtruncatus, certaminis coronam affectus est.

Eodem die sancti martyris Thespesij, qui sub Alexandro Imperatore propter Christi confessionem à Simplicio Prefecto Cappadociæ cum ipse quoque esset Cappadox, ductus est ad templum Idolorum vt illis ipsis sacrificium offerret; cumq; id constanter renuisset sed magis magisque Idola irrisisset, suspensus, verberibus cæsus est, & in cibarium accessum iniectus. Cumq; diuina ope adiutus, illæsus permansisset, rursus ducitur ad templum Idolorum, quibus gentiles immolabant, accedente autem illo ad aram, statim illa

illa diruta est. itaque illico iniectus est in farraginem ignitam, oleo, pice, & sæuo plenam, quam cum duos dies fortiter tolerasset illinc exijt incolumis, nullum ignis vestigium in suo ferēs corpore cuius miraculi magnitudine, multos Gentiles ad Christi fidem conuertit. itaq; illum extra urbem Præses eductum, capitali pœna damnauit.

Eodem die sanctorum martyrum Hermylli & Stratonici.

Die II.

Sancti patris Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, qui fuit temporibus impij Imperatoris Constantini cognomento Copronymi, ortus & educatus in vrbe Regia Constantinopoli, claris parentibus Theodoro & Eudocia. fuit autem Theodorus scriba Regalium edictorum, qui delatus, vt cultor diuinarum imaginum flagris cæsus, exul missus est in urbem Nicæam, in qua multas ærumnas perpeffus migravit. Eius filius Nicephorus in numerum scribarum aggregatus, cum omnia vt stercorea, & telas araneorum arbitratus esset, secessit in Propôtidem vbi dū sibi ipsi, & Deo vacaret, mortuo Tarasio beato illo Constantinopolitanæ ciuitatis Patriarcha, in demortui locum eligitur, regnante Nicephoro Imperatore Patre Stauratij, peruenit autem vsq; ad Imperium Leonis sanctarum Imaginum oppugnatoris, qui religiosissimum Michaëlem ab Imperio expulit, ab hoc impio Tyranno exul factus beatus Nicephorus & in carcerem coniectus, exacto septuagesimo anno in manus Dei spiritum commendauit, cum nouem annos in Patriarchatu, tredecim vero in exilio vixisset.

Einſdem

Eiusdem Die III.

Certamen sanctorum martyrum Lucilliani, & quatuor puerorum, qui cum illo erant, Claudij, Hypatij, Pauli & Dionysij. fuit sanctus Lucillianus temporibus Aureliani Imperatoris sacerdos Idolorum, canus capite, ex vrbe Nicomedia, translatus autem ad Christi fidem, & oblatu Siluano Comiti, neq; vilo modo passus Christum negare, in maxillis percutitur, virgis cæditur, & in caput suspenditur. postea in carcerem coniectus est, vbi & quatuor pueros inuenit, ob eandem Christi fidem detentos, quibus cum rursus Siluano Comiti oblatu est, qui in Christianæ fidei confessione constanter permaneret, in ardentem fornacem cum quatuor illis beatis pueris iniectus est, desuper autem demisso imbre, atq; extincta flamma, exierunt incolumes. postea ducti sunt Byzantium, & ipsi quidem pueri obruncati sunt, Lucillianus verò crucifixus martyrio consummatus est.

Eodem die Sanctæ Paulæ Virginis & martyris, quæ cum sanctis Beati Lucilliani & sanctorum quatuor puerorum certaminibus interesset, tam in carcere, quam in via eorū sanguinem abstergebat, & vulnera curabat; erat enim inde vsq; à maioribus Christianæ fidei sectatrix, eiusq; opus erat visitare in carcere detentos, quique pro Christo paciebantur, eos curare ac nutrire. quamobrem detenta, ducta est ad Comitem, nec passa Idolis immolare, nuda verberatur, ita vt assiduis virgarum plagis eius corpus dissolutum fuerit, sed astantis Angeli præsentia illico sana facta est, rursusq; oblata Comiti, in os cæditur, insuper in Caminum iniecta egressa est incolumis. lata vero sententia vt securi percuteretur, & Byzantium venisset cum eo esset in loco, vbi Beatus Lucillianus crucifixus est, obruncata migravit ad Dominum.

Die

Die IIII.

Natalis sancti Metrophanis Archiepiscopi Constanti-
nopolitani, qui fuit filius Domitij fratris Probi Impera-
toris. hic ad Christi fidē conuersus, Baptizatus est. Cumq;
profectus esset Byzantium, cum Tito eius vrbis Episco-
po versatus ab illo factus est Ecclesiasticus & aliquot an-
nis postea Episcopus Byzantij. Hic senio & morbo graua-
tus Nycænam magnam Synodum adire non potuit, sed
Vicarium misit primum inter Presbyteros Alexandrum,
quem & successorem suum habuit. hic ad summam sene-
ctutem prouectus, Magno Constantino Imperatori sacræ
synodi Patribus cum illo reuersis regis vrbi, & Ecclesiæ
bene precatus requieuit in Domino, cum prius diuina
reuelatione admonitus prædixisset sanctos viros Alexan-
dram & Paulum.

Eodem die Sancti Patris nostri Andreae Hierosolymi-
tani Archiepiscopi Creta.

Et sanctarum mulierum Marthæ, & Mariæ.

Die V.

Sanctorum martyrum Martiani, Nicandri, Apollinis,
Leonidis, Arij, Gorgij, Hyperechij, Selleniadis, Irenes, &
Pambonis. Hi omnes sancti sub Ægypti Præside eo quod
Christū ipsum abnegare noluerint, fame, siti, & estu vexa-
ti, martyrij certamē sustinentes animas suas Domino tra-
diderunt.

Eodem die Certamen sancti martyris Dorothei. Hic
vir sanctus Dorotheus fuit Episcopus Tyri, temporibus
Licinij, & Constantini: Diocletiano autem & Maximia-
no Imperatoribus propter imminentem perlecutionem,
derelicta propria domo abiit in urbem Odissopolim, vbi
seruatus est; postea vero quam Diocletianus, & Maxi-
mianus, mortui sunt, venit Tyrum, ibique Ecclesiam

rexit, vsque ad tempora Iuliani Apostata: tunc vero Odisopolim reuersus est, atque ibi comprehensus à Iuliani Principibus, & multa passus tormenta in summa senectute martyrij coronam percepit: qui dum pateretur, animam Deo ipsi comendauit, annum agens centesimū septimum, Qui Ecclesiasticos libros, & Historias latinis & Græcis literis scriptos reliquit, erat enim vtriusq; linguæ peritus, studio intento, & naturæ aptitudine plurimum valens.

Eodem die Certamen S. virginum, & sociarum, Zenaidis & sanctarum mulierum Cyriæ, Valeriæ, & Marcia ex Vrbe Casarea Palæstina, quæ cum abnegassent Idola, & execrabiles victimas, à Christiano quodâ homine catechizatae atque instructæ in Christum crediderunt, & baptizatae sunt, cum multa pietate viuentes, Deumq; propitium sibi facientes, ieiunio, & oratione, temperantia, & Iustitia. Itaque ab omni populo cognitae sunt, ac detenta, & multis ac diuersis tormentis cruciatae ad Deum migrarunt.

Eodem die sancti Patris nostri Eustathij Archiepiscopi Antiocheni, qui cum esset sub Constantino Magno Imperatore, orthodoxæ fidei splendore, & sapietia illustris in Nicæna prima synodo Impiū Arii Hæreticū Dogma redarguit, cumq; doctrina, & sanctitate clarus, ad centesimum annum peruenisset quieuit in Domino, cuius sanctæ reliquiae Antiochiam translatae sub Zenone Imperatore, extat Beati Ioannis Chrysostomi in hunc virum sanctum nobilis laudatio, quem, & Beatus Hieronymus suo testimonio insigni commendauit.

Die

Die VI.

Sancti Patris nostri Atrali admirabilium rerum effecto-
ris, qui Ieiunio, vigilijs, & alijs virtutibus præstans, ac
plurimos exemplo, vita, & miraculis ad cœlestem nor-
mam conuertens animam suam Deo commendauit.

Die VII.

Sacro sancti martyris Theodoti Ancyra, qui accusatus
a quodam Theotænum Præsidente, quod sanctarum virginum cor-
pora in paludē demersa, extracta sepelisset, ductus ad Præ-
sidem ipsum, & liberè pietatem professus, verberatus est
vehementer, postea bis in ligno suspensus, lateribus lani-
atus transfoditur, lampadibus comburitur, lapidibus
conteritur, postremo capite obruncatur.

Eodem die sancti martyris Lycarionis, qui ex Ægypti
vrbe Herme propter Christi fidem comprehensus, cum
à Iudice cogeretur Christum abiurare, neque id facere per-
suasus esset, in carcerem tenebricosum coniectus, & ali-
quot dies detentus, postea eductus, laniatur, & in cruce
figitur: Deinde ferreis virgis ignitis comburitur in pe-
ctore, postea in ardentem caminum immittitur, ubi tri-
duo mansit, & exijt illæsus, adhuc mortifera venena co-
actus est bibere, à quibus cum nihil passus esset, eum, qui
illa miscuerat ad Christi fidem conuertit, postremo capi-
tis pelle detracta, gladio percussus, mortem pro Christo
subijt.

Die VIII.

Certamen sanctorum martyrum Nicandri & Germa-
ni, qui cum in militari ordine censerentur, & à Maximo
Præsidente inquisiti se Christianos esse professi essent, coge-
batur à Christi fide desciscere, cumque id facere constanter
recusarent, obruncati martyrio coronati sunt.

Eodem

¶ Eodem die relatio reliquiarum sancti martyris Theo-
 dori ducis exercitus ad Euchaitas. Hic fuit sub Licinio
 Imperatore natus apud Euchaitas, sed in vrbe Ponti He-
 raclea diu versatus est, vir planè animi, & corporis specie
 decorus, cum vero Licinius illum Christianum esse cog-
 nouisset, iussit Nicomediam honorifice illum accersiri:
 at ille Imperatori referri mandauit, vt ille ad eum ve-
 niret. Persuasus autem Licinius profectus est Heracli-
 am cuius aduentum cum martyr didicisset oratione præ-
 missa equo pulcherrimo insedit, eiq; occurrens, salutem
 nunciauit, quam Imperator humaniter excepit, & regali
 honore hominem profectus est, sedensq; admonebat, vt
 Dijs sacrificaret: Theodorus verò iussit omnes Deos illuc
 afferri, vt illis immolaret, & primū quidem in cellā prom-
 tuariam, postea ad ipsum allati sunt, quos mediā nocte ac-
 ceptos aureos scilicet, & argenteos illos Deos commi-
 nutos pauperibus martyr ipse distribuit. Qua re cog-
 nita vehementer verberatur, postea in crucefixus sagit-
 tis peritur, cumque effossis oculis mortuus esse censeretur
 detrahitur de ligno ab Angelo, & sanctus factus est, quem
 cum vidissent qui missi fuerant à Licinio, crediderunt
 Christo ipsi, & martyres facti sunt. tot igitur & tantis mi-
 raculis à viro illo sancto effectis vniuersa multitudo ad fi-
 dem Domini conuersa, seditionem contra Licinium
 commouit, cui vix martyr persuasit, ne quid innouaret.
 tunc Licinius sententiam tulit, vt gladio feriretur. Quo
 facto precibus ad Deum missis, martyr ipse mandauit, vt
 eius ipsi reliquiæ ad Euchaitas relatæ in patrio prædio se-
 pelirentur, & sic gladio percussus martyrio coronatus est.
 Celebritas Archangeli Michaëlis. Et certamen san-
 ctorum martyrum Alexãdri & Antoninæ. Hi sancti mar-
 tyres fuerunt in Castello Cardemo, beata quidem Anto-
 nina

nina pudice & sancte vitam degebat, comprehensa vero à Feste Præsidi cum persuasionibus nullis flecti posset, vt Christum ipsum abnegaret, & dæmonib⁹ seruiret, meretricia domo includitur, vbi cum triduo ieiunio detenta esset, nocte effulsit lumē in carcere & facto tonitruo fores carceris diruptæ sunt, & vox è cælo demissa, quæ hortabatur, vt surgeret, & cibum sumeret. Quo sumpto, corroborata astitit Præsidi, cumq; denuo persuaderi non posset, vt Idolis victimas offerret, prostrata, plagis cæsa, iterum in meretricium diuersorium demittitur, quo diuina reuelatione excitatus Alexander ingressus (facile autem propter iuuenilem ætatem, erat enim annis natus decem, & octo, videri poterat ad inhonestum facinus accessisse) clam sanctam virginem, è domo illa eduxit, chlamyde capite contecto, ipse vero pro ea illic remansit, paulo post cum res ipsa innotuisset per milites, qui ad sanctam illam violandam accesserant, ductus ad Præsidem Alexandrū verberatus vtriq; extremæ manuum & pedum partes sunt amputatæ, postremo in foueam ignis deiecti liquida pice toto corpore vncti beatum finem Christo adiuuante sunt affecti. Eorum natalis celebratur Constantinopoli, vbi sanctæ & preciosæ illorum reliquiæ reconditæ sunt, ex quibus multorum morborum curationes scaturiunt.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Nicandri & Marciani, qui propter Christianæ fidei confessionem sub Præsidi Maximo in carcerem coniecti, cum ad negationem adigi non possent, ferreis vnguibus lacerantur, & in excelsis trabibus suspensi, ac detracti super carbones ignis extensi, virgis desuper verberantur, falsoque aceto perfusis plagis, testis acutis perfriantur, lapidibus ora contusa & facies contractæ, postremo linguæ gladio excisæ, & ense percussi migrauerunt ad Dominum.

h

Eodem

Eodem die sanctæ martyris Calliopæ quæ sub Decio Imperatore, specie corporis, & animæ pulchritudine insignis, à Christi amore, & fide separari nõ potuit, sed licet excisæ fuerint illi mammæ, licet super acutas testas pertracta, & incensæ carnes, sale asperæ, tamen adiuuante Christi Angelo capite obruncata martyrio coronata est.

Die IX.

Apud Alexandriam Natalis sancti Cyrilli eiusdem ciuitatis Episcopi viri eruditissimi & catholicæ fidei propugnatoris egregij, quem summus Pontifex Cælestinus idoneum iudicauit, cui vices suas in Ephesino concilio delegarit.

Die X.

Apud Prusiada sacrosancti martyris Timothei eiusdem ciuitatis Episcopi, qui sub Iuliano Imperatore Apostata, cum Ecclesiam suam bene regeret, & multorum miraculorû fama esset illustris, à Iuliano Christianæ fidei desertore obruncatus est, cuius dies in sanctissimo ipsius martyrio celebratur.

Eodem die apud Antiochiam sanctæ Pelagiæ martyris quæ accusata apud Præsidentem, cum virginitati suæ merueret, Deum precata est, seque ipsam componens, ascendit in tectum eius domicilij, in quo à Præsidente reposita fuerat, vnde se præcipitem dedit, ac sanctam animam Deo reddidit. Hanc venerabilis sanctus Ioannes Chrysostomus pulcherrimis encomijs honorauit, celebrauit, tû propter virginitatis puritatem tum etiam propter virtutum exercitationem non vulgarem.

Eodem die apud Cappodociam sancti patris Canidîs filij piorum parentû Theodoti & Theophanis sub Theodosio magno Imperatore: vixit autem admirabili abstinentia, vsus precibus, & ieiunijs intentus, paucissimis oleri-

oleribus, sale non conditis vescens, ad annum tertium & septuagesimum peruenit, ac sic beatus ille migravit ad Deum.

Eodem die apud Antiochiam sancti Theophanis & Pansemnæ: fuit autem Theophanes infidelibus atque impijs ortus parentibus; sed mortua vxore, qua cum iunctus tres annos vixerat, Ecclesiam adiit & baptizatus est, ac prope vrbem cellula angusta ædificata, seipsum inclusit, in omnibus his, quæ ad perfectæ vitæ exercitationem & summum virtutis gradum pertinent, se exercens. cum verò audiuisset de publica quadã meretrice, nomine, Pãsemna, quod multis esset causa perditionis, precibus Deo seipsam commendans, meretricem adiit, cui tot & talia dixit, qualia satis essent ad persuadendum mulieri quantumuis lasciuæ, vt relicta turpitudine, continenti & honestæ vitæ se traderet, quibus admonitionibus illustrata & compuncta diuinum baptisma suscepit, & bene disponens res suas beatum Theophanem sequuta, cella, quam sibi ipsi ædificauit, inclusa, virtutem omnem exercuit tantumq; Deo ipsi placuit, vt & Dæmones expelleret, & varios morbos curaret, cum autem vixisset annũ vnum & menses duos in eiusmodi exercitatione simul cum sancto Theophanẽ ad Dominum translata est.

Die XI.

Sanctorum Apostolorum Bartholomæi & Barnabæ, quorum alter fuit è numero duodecim, alter ex Lxxii.

Die XII.

Sancti patris Onuphrij Ægyptij, qui cum esset in Cœnobio in vrbe Hermopoli Thebarum, & audiret de ELIÆ Propheta & IOANNIS præcursoris vita, egres-

h 2

sus

sus ex Cœnobio habitauit eremum annos LX. hominem omnino non videns; vbi post admirabilem monasticæ vitæ exercitationem, ad cœlum migravit, quem magnus ille Paphnutius sepeliuit; cuius dies Natalis celebratur in sanctissimo ipsius oratorio in monasterio sancti Alipij.

Eodem die Sanctæ martyris Antoninæ. Apud Nicæam Bithyniæ Diocletiano & Maximiano Imperatorib⁹, Prisciliano Præsidente, Antonina in Christianæ fidei confessione constanter perseuerans, verberibus cæsa, in ligno suspensa, lateribus laniata, subulis perfoffa, flammis incensa, demum gladio percussa, martyrio coronata est.

Die XIII.

Sanctæ martyris Aquilinæ, quæ sub Diocletiano Imperatore, & Biblo Præsidente Palæstinæ quindecim annos nata, Christum prædicans, & æquales puellas ab Idolorum errore, ad Christianæ fidei veritatem conuertens, accusata est apud Proconsulem Volusianum, & Christi nomē confessa, verberata est, & subulis ferreis ignitis in aures infixis, tandiu cruciata est, quoad sanguis e naribus defluerit, postremo sententia lata, gladio percussa est; cuius Natalis celebratur in sancto eius Martyrij templo.

Die XIII.

Sancti Prophetæ Elisæi, per quem multa prodigia fecit Deus, vt diuinæ testatur, mortuus autem, sepultus est in Samaria in Sebastopoli.

Eodem die sancti Methodii Archiepiscopi Constantinopoli.

Constantinopoli Natalis sancti Methodij, qui hæreticorum sanctas Imagines oppugnantium errorem grauissimis

simis diuinarum litterarum testimonijs redarguens, Orthodoxam Ecclesiam Dei fidem protegens, multas ærumnas ab Hæreticis perpeffus pro sancto Venerabilium Imaginum cultu conseruando laborans æternam requiem adeptus, peccatorum remissionem nobis exposcit. Cuius natalis celebratur in sanctissimo Sacello in quo præcipue ipfius reliquiaz intra diuinum Templum celeberrimorum Apostolorum repositæ sunt.

Die XV.

Sancti Prophetæ Amos.

Eodem die Sancti Martyris Dulæ. Hic fuit ex Zephyrio prætoride prouincia Ciliciæ, qui propterea, quod Christum coleret, & adoraret, ductus est ad Maximum Præsidem, virgis cæditur; cumque irrideret Apollinem, & alia inania simulacra, Præsidem ipsum in iram magis accendit, quare iterum verberatur, eiusque caput oleo perfulsum, igneis carbonibus comburitur, alijsque diuersis tormentis cruciatus, in Christi confessione constanter permanens, oblatumque Idolorum libamen vt execrabile quiddam ore suo exspuens inuictus & beatus martyr spiritum Deo reddidit.

Die XVI.

Sancti Patris nostri Tychonis Episcopi Amathuntis ciuitatis insulæ Cypri. Hic cum haberet pios & Christi studiosos parentes, ab ipsis Deo consecratus est, & diuinas litteras edoctus, diaconus est ordinatus ab Episcopo Mnemonio, quo mortuo à magno Epiphanio ad Episcopatus sedem promotus fuit; Cumque multos ab errore & vanitate Idolorum ad Christi Dei nostri fidem conuertisset, multaque Idolica templa euertisset, & simulacra quæ in illis erant confregisset, erectis & consecratis diuinis

h 3

tem-

templis, excessit multis insignibus clarus miraculis.

Die XVII.

Natalis Sanctorum martyrum Manuelis, Sabelis, & Ismaëlis, qui fuerunt ex Perside orti, patre quidem inter magos primo, matre vero Christiana, edocti pietatem, & sacras litteras ab Eunycio quodam presbytero, viro admodum religioso. Cum vero hi viri à Baltano Persarum Rege missi legati ad Iulianum Apostatam, vt cum illo de pace agerent, vidissent Imperatorem trans Chalcedonem Idolis immolantem, multosq; per illū ad errorem subduci animaduertent, viri pietatis studiosi & Christi adoratores, percusserunt pectora sua flentes, & Christo ipsi supplicantes, vt illos ab idolorum execrabili errore liberatos, in suæ sanctæ fidei puritate seruaret, & re ad Imperatorem Impium delata per Indicem cubicularium, ducti viri sancti, flagris cæsi sunt.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Isauri & sociorum Innocentij, Felicis, Hermiæ, & Peregrini: homines Athenis originem ducebant, qui cum à Patria discessissent, in quadam spelunca Apolloniæ per aliquot annos vitam duxerunt, sed delati apud Tripontium Tribunal, comprehensi à Christi fide desciscere cogebantur. Itaq; Isaurus Diaconus, & qui cum illo erant, Apollonio Tribuni filio traditi sunt, à quo igne & aqua probati, cum ex his admirabiliter liberati essent, ad Christi fidem multos conuerterunt, quorum primi erant vrbis ciues, Rufus, & Ruffinus germani fratres, postremo sententia lata, obruncati sunt.

Eodem die sancti Patris nostri Besarionis, qui à puerili ætate mundanis rebus abrenunciatis, & Schitem secedens, admirabili rerum terrenarum contemptu, solius animæ

animæ studio vacabat, ab omni affectu liber, non locorum desiderio, non cibi appetitu detentus, sed futurarum rerum spe, & fidei firmitate munitus, omnia tolerabat, huc, atq; illuc tanquam captiuus aliquis in frigore & æstu nudus oberrans sub dio perpetuo stabat, ita vt quadraginta dies, & noctes in medio rhamno aliquando stans, nunquam cubuerit, & quadraginta nunquam in latus declinarit, sed sedens, vel stans dormierit, cumque talem duxisset vitam, ad cœlestem patriam euolauit.

Eodem die Sancti Patris nostri Hypatij. Huic patria fuit Phrygia, parentes autem diuinæ pietatis studiosi, temporibus Honorij & Arcadij Imperatorum. Hic factis eruditus, decimum octauum agens annum, relictis rebus omnibus monasticam vitam aggressus, atq; omni virtute ornatus, presbyter creatus est, cumque octogesimo expleuisset annum, beato fine requieuit. quanta vero per illum Deus miracula perficiat, literis explicari non potest.

Die XVIII.

Sancti martyris Leontij, & sociorum Hypatij, & Theoduli. Hic Leontius ex Græcia originem ducens, cum robore corporis, & fortitudine animi polleret, inter militares ordines cum primis numeratus est, postea. & Imperator exercitus creatus, in vrbe Tripoli Africæ versans, cibarijs, & annona regia alebat pauperes. & sincera mente Christo seruiebat. Hæc audiens Adrianus Præses Phœnicæ, constitutus à Vespasiano Imp. Romanorū misit ad eū Hypatium Tribunum cū duobus militibus, quorum alter Theodulus vocabatur, dūq; proficisceret Hypatius vehementi febre detentus, audiuit vocē Angeli è cœlo dimissam quæ iu-

iubebat, vt si vellet morbo liberati inuocaret in auxiliũ Leontij deum: hanc vocem audiuit & Theodulus, cumq; venissent ad sanctum Leontium, & apud illum hospitio accepti essent, quæsierunt ab illo ipso, quisnam esset Leontius, Respondit, se esse, quem quærerent Leontium Christi seruum, eos verò qui dij dicebantur se abominari vt execrabiles & falsos deos: quæ cum audisset tribunus Hypatius, & Theodulus, ad sancti viri pedes procidentem petierunt vt Christi gratiam illis conciliaret. Orate itaq; Leontio, & illos verbo veritatis catechizante, atque instruente, venit nubes de cœlo aquam demittens, & albas vestes ferens ad eos illuminandos atq; induendos. Quare perturbati homines infideles omnia ad Adrianum Præsidentem detulerunt, qui cum ad se ductos flectere non posset, vt à Christi fide desciscerent, iussit sanctũ Hypatiũ suspendi, & laniari nec non sanctum Theodulum flagris cædi & ita vtrumq; obtruncari Magnus verò martyr Leontius primũ quidem baculis verberatur, postea illecebris & adulationibus Tyranni mentem non adhibens, sed irridens potius, vehementius cæditur, adhæc suspensus diutius laniatus, & saxo ad collum ligato grauatus in carcerem conijcitur, postremo quatuor palis extensus, Deo beatum spiritum commendauit.

Eodem sancti martyris Ætherij qui fuit sub Imperatore Diocletiano, delatus vero, oblatuſ est Edesio Præsidi. Christum vero confessus prosternitur, & igneis facibus comburitur, ac diuersos cruciatus perferens, gladio percutitur.

Die XIX.

Sancti Apostoli Iudæ. Hic in *Euangelio* Lucae, & in *Actibus* Apostolorũ Iudas nominatur, apud Matthæum vero & Marcum Thaddæus, & Lebeus appellatur frater secundum

eundem carnem Domini nostri Iesu Christi, & germanus Iacobi fratris Dei. Hic Epistolam scripsit spiritu sancto plenam, qui & prædicatione infideles homines cōuertit, & apud Mesopotamiam Euangelium gentibus disseminans, verbo Christi pietatem regionibus illis prædica- uit, & Edessenorum ciuitatem peragrans, ad Abagarum profectus illum à morbo curauit, demum in Artipoli ab infidelibus, suspensus & sagittis vulneratus, spiritum Deo ipsi commendauit.

Eodem die sancti martyris Zosimi certamen. Hic miles sub Traiano Imperatore ex Apolloniade apud Sozopolim, Præsidi Antiochiæ in Pissidia Domitiano, proie- ctis armis, cum ad Ecclesiam Christi confugisset, ad- iuuante Dei gratia, baptismo dignus factus est. Quamo- brem ad Præsidem ductus, & se Christianum esse confes- sus, æreo grabato ignito imponitur, à quatuor uiris exten- sus, sed igne ipso in rorem conuerso, multi ex illis, qui præ- sentes erant, percussi miraculo ad Christum conuersi sunt. posthæc plantas confixus clauis, & equis indomitis alliga- tus, currere, coactus est ad Præsidem ad Canitarū urbem, tres dies ieiunus permanens, duobus uero pueris diuini- tus apparentibus, quorum vnus panem, alter uero vascu- lo aquam ferebat, gratias agens Deo, beatus martyr reso- cillatus est, examinatus postremo, & eandem confessionē forti animo repetens, ceruice gladio supposita, martyris corona indutus est.

Eodem die sancti patris nostri Zenonis. Hic abrenun- cians mundo beati Magni senis Siluani disciplinæ se tra- didit, & propter eximiam obedientiam, & summam ex- ercitationem, atq; inopiam, signa multa effecit; nam & multos Dæmones ex hominibus abegit, & sanctitate in- signi, ad uirtutis uiam plurimos direxit. Cum itaq; ita vi- xisset duos & sexaginta annos natus in pace quieuit.

Die XX.

Hæc in Apo-
grapho m. s.
in ipso textu
adscripta sunt
Hieronymus
habet, Olym-
pi Lyciæ in
qua est Patara:
& in Rom ha-
betur 14. Kal.
Octob. id est
18. Septemb.

Sancti martyris Methodij *Episcopi Pataræ*. Hic à pue-
ro, se ipsum Deo dedicauit, effectus vas preciosum, & re-
ceptaculum spiritus Dei. quare & venerabili sacerdotio
dignus habitus, benè & religiosè gregem suum pascès, vt
Ecclesiæ cœtum sinceris sermonibus aleret, omnem erro-
rem propulsare studuit. Quamobrem, cū Origenis hære-
sim irreperere vidisset, vt optimus Pastor diuino verborum
suorum igne illam combussit; sed cū non ferret, acerrim-
us hostis diabolus sancti *Episcopi* libertatem & instan-
tiam, ministros suos ad eius eadem excitauit; at ille cum
& ante martyrij certamen vitalem mortificationem ope-
ratus esset, gladio capite obtuncatus, migravit ad Do-
minum, sub Decio, & Valeriano in Chalcide Græciæ
martyrio coronatus.

Die XXI.

Certamen Iuliani in *Ægypto*. Hic fuit sub Diocletia-
no Imperatore, & Martiano *Præsidi* in vrbe *Ægypti* An-
tinopoli, qui monasterij illo magno decem millium mo-
nachorum congregato detentus à *Præsidi*, & Christum
confessus fustibus cœsus, eiusq; ouile, & monachi vna cū
Episcopis, & sacerdotibus fugientibus aufugerunt, san-
ctus vero Iulianus, non verberibus, non carcere, non vllis
tormentis, non ipsa deniq; morte detineri potuit, quo-
minus pro Christi confessione sanguinem effunderet.
Huc & magnus doctor Chrysofomus Encomiorum ho-
nore celebrauit.

Eodem die sancti martyris *Aphrodisij* ex Regione
Ciliciæ, qui inde vsque à maioribus Christum coluit,
quem confessus, Dionysio *Præsidi* oblatus est, cumque
Christum

Christum ipsum verum Deum esse professus esset, ferreis laminis ignitis eius terga inusta sūt, postea in lebetem feruentis plumbi plenum iniectus est, vnde incolumis euasit, aliaq; tormenta perpeffus atque in Christiana confessione persistens, martyrij coronam est assecutus-

Eodem die sanctorum martyrum Terentij Episcopi Iconij, Marci Episcopi Apolloniadis, fratris consobrini Barnabæ Apostoli, cognomento Iusti.

Die XXII.

Sancti martyris Eusebij Episcopi Samosatensis, qui fuit sub Constantio Imperatore, feruentissimus orthodoxæ fidei æmulator, tantum autem fortitudinis, & rerum terrenarum contemptus in ipsius animum venit, vt id tantum studeret, quo pacto pietas ipsa, & orthodoxæ fidei status, incrementum acciperet, licet Imperator ipse tam contrariæ esset opinionis, quàm nemo alius vnquam fuerat. Itaq; cum Imperator Constantius minatus aliquando fuerit illius se manum abscissurum, nisi diuersum sentiret, ipse vtramque manum extendit, vt significaret libentius se illarum abscissionem accepturum, quàm quod proponebatur pietatem proditurum. Hunc beatum virum post Constantium & Iulianum Valēs Imperator Ariana perfidia corruptus ab Episcopali sede deiecit, & ad Istrum fluuium exulem condemnauit. verum post mortem Valentis ad Ecclesiam suam reuersus, post multa certamina & victorias, martyrij palmam assecutus est, cum foemina quædam prauæ opinionis, Arianae perfidiae sectatrix, è tecto quodam regulam in viri sancti tran-

seuntis caput deiecisset; quam mulierem sanctus martyr venia dignatus est, neminem permittens illam vlcisci, Christum Dominum & Protomartyrem Stephanum imitatus.

Die XXIII.

Sanctorum martyrum Zenonis, & Zenæ. Hi beati martyres fuerunt ex Philadelphia Arabiæ; Zeno quidè ex ordine militari; Zenas vero erat seruus Zenonis, qui cum omnes facultates suas pauperibus distribuisset, & seruos libertate donasset, ad Præsidem Maximum à Maximiano Imperatore constitutum accessit cum seruo Zenas; hic enim cum esset grati animi, securus est dominum. Zeno autem vt vidit Præsidem, vano Idolorum cultui seruientem, illum increpauit, qui statim neruis verberari iussit; sed martyr ipse Zelo accensus insiliens calcibus aram ipsam euertit, quocirca suspensus nulla habita ratione laniatur, eiusq; plagæ aceto & sale consperse sunt, postea de ligno depositus, ligatis pedibus in carcerem iniectus est, quo ingressus Zenas seruus Domini sui vincula deoscularus, illum obsecrabat, ne ipsum desereret; quod cum audiuisset Præses iussit illum quoq; in carcerem includi. ambo igitur examinati, & Christum ipsum abnegare non passi diuersis & acerbis tormentis cruciati obrutcati sunt, quorum dies natalis celebratur in sancto Beati Georgij sacello, apud Liparissium.

Eodem die sancti martyris Eustochij presbyteri, & sociorum. Hic vir sanctus Eustochius & Gainus frater cōsolbrinus, & eius filij Probelulus & Urbasius fuerunt ex urbe Vusadorum temporibus Maximiani Imperatoris & Agrippæ Præsidis: Eustochius quidem cum esset sacerdos Idolorum, antea videns sanctos viros pro Christo mar-

martyrium sustinentes, & miracula multa efficientes, propriam superstitionem condemnans accessit ad Eudossium Episcopum Antiochiæ, à quo baptizatus est & presbyteri ordinem suscepit. Cumq; ad oppidum, cui nomen est Lистра venisset, & consobrinum suum Gainum cum tribus pueris inuenisset, Christi Domini mysterium exposuit, eosque cum cognatis omnibus baptizauit, quam ob rem detentus, ductus est ad Præsidentem, & Christum confessus in ligno suspensus, & vehementer laniatus. Post hæc vna missi sunt Ancyram ad Agrippinum illic Præsidentem, à quo ad examen constituti, & Christum abnegare non passi, primum quidem suspensi sunt Probelulus & Urbasi⁹ ἀπέναντι ἀλλήλων, eorumq; maxillæ laceratæ sunt, quorum sanguinem Gaianus frater consobrinus excepit, quapropter verberatus est, sanctus vero Eustochius obtruncatus, & post aliquot dies Gaianus idē passus est. Paulo post pueri ad æream rotam sunt alligati, atq; illinc inco-lumes admirabiliter erepti, rota ipsa moueri desinente, & igne extincto, postea rasæ capitibus, clauisq; transfixis, ac foeminarum mammis abscissis, magna voce Christum inuocantes, obtruncati sunt.

Eodem die sanctæ martyris Agrippinæ, quæ in illustri vrbe Roma orta & educata, virginitate, & fortitudine decorata, & Deo ipsi desponsata, forti atq; alacri animo ad martyrij palmam cucurrit, & propter amorem, & charitatem spon-si sui Christi multis cruciatibus seipsam tradidit. Itaq; virgis cæsa, vinculis, carceribus, & torturis afflicta in tormentis ipsis animam Deo commendans martyr excessit, cuius corpus Bassa, Paula, & Agathonice clam susceptum ex vrbe Roma in Siciliam transferentes reposerunt. Cum primum vero Sicilia illud accepit, tene-

bricosis Dæmonum erroribus liberata est; Cumq; Agareni ausi fuissent castrum diripere, in quo Beatæ Martyris templum seruabatur, repentino interitu perierunt. Ex quo tempore ad hanc vsq; diem, leprosi eum fide illuc accedentes purgantur, & reliqui morbi sanctæ Agrippinæ intercessione abiguntur.

Di. XXIV.

Sancti gloriosi Prophetæ Præcursoris Ioannis Baptistæ natiuitas.

Eodem die sancti martyris Orentij, & germanorum fratrum, Herois, Pharnacij, Firmi, Firmi, Cyriaci, & Longini, qui omnes fuerunt Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus ex partibus orientis: militantes vero cum mille tyronibus sub Rodone Cubiculario in vrbe Antiochiæ, qui ad partes Thraciæ venerunt, cõnumerati in legionem quæ dicebatur Legeandri, seditione autem commota temporibus illis Scytharum, qui transferant Istrum fluium, & Thraciam depopulabantur, nuper post mortem Diocletiani, Maximianus imperium obtinens in multa erat solitudine & inopia consilij, maxime propter Maroth Ducem Scytharum, & mole & viribus corporis multis præstantiorem, ob idque prouocantem alios, si quis vellet secum singulari certamine ita congregari, ut qui pugnando esset superior, reliquis victoriam concederet. Cum igitur Imperator ita se haberet, excitatus est hortatione militum sanctus Orentius ad congressum illum; omnium enim sententia iudicatus est robore & bellica peritia insignis atque idoneus, qui propter agilitatem corporis aduersarium hostem posset debellare. Congressus enim Christi fide armatus atque indutus in acie pugnans, Scytham illum iaculo transfodit, eiusque caput

caput celeriter abscissum Imperatori obtulit; quod cum Imperator admiratus esset, ac Idolis ipsis victrices iussisset victimas offerre, Orentius ipse Christi Domini praesidio à se Barbarum illum deuictum fuisse respondit, non eorum virtute, qui falso nomine dii appellantur. Sed tunc quidem Imperator reueritus preclari illius facti magnitudinem, permisit Orentium Regijs à se honoribus frui; sed postea illum admonens, vt à Christi fide desciceret, cum nihil proficeret, illum cum sex fratribus in Armeniam ad urbem Satalorum relegauit, praecipiens illius regionis Duci, vt si quidem inquisiti milites illi persuasi fuerint Dijs immolare, eos ad se remitteret, sin minus extorres in Abasgiae, & Zechæ regiones ablegaret. Illis igitur iuxta Imperatoris praecipitum abductis in eam regionem, Beatus Heros fratrum illorum primus migravit ad Dominum, sanctus autem Orentius qui Diroontem debellauerat, saxo ad collum alligato in mare dimissus est (ita enim de illis mandatum fuerat) sed Raphaëlis Archangeli martyrem subleuantis praesidio incolumis exiens è fluctibus, in continente supra petram quandam constitutus est. quo loco Deum orans emisit spiritum, atque ibi sepultus est. sanctus vero Pharnacius apud Cordilem ad Dominum translatus est tertio die mensis Iunij: septimo autem Firmus & Firminus cõuenissent ad urbem Ablarû, temporalis vitæ finem inuenerunt. S. Cyriacus ad Regionem Lazorum abductus in loco dicto Zeganeo requieuit in domino quartodecimo eiusdem mēsis die. sanctus Loginus dum nauigaret à Zeganeo ad Libycam exorta in mari fluctuatione magna precibus ad Deum missis Deo spiritum tradidit. Itaque in Pytiuntem post quatuor dies illuc appellent, nauigio depositus est.

Die

Certamen sanctæ Martyris Febronix, quæ monasticam vitam ducens in Monasterio Bryenæ in vrbe Nisibi, Diocletiano Imperatore & Seleno Præide propter Christianæ fidei confessionem vincula, verbera, suspensionem, lingue sectionem, dentium euulsionem, mammarum, manuum, & pedum abscissionem perpessa, postremo gladio percussa, martyris palmam assecuta est.

Die XXVI.

Apud Thessalonicam sancti patris nostri David continentia, castitate, & miraculorum splendore insignis, qui prope urbem Thessalonicam diuersorium habes, omnes se adeuntes sermonum iucunditate exhilarabat, & ad meliorem vitam conuertebat.

Eodem die sancti patris nostri Ioannis Episcopi Gothix, ex Tauroscytharum regione, temporibus Leonis Mauri, sanctarum imaginum oppugnationis, quarum venerationem cum beatus Episcopus defenderet, ab Impio illo Imperatore multas erumnas, & exilium passus, pro Catholicæ fidei defensione ex huius vitæ molestijs ad cœlestem vitam translatus est.

Die XXVII.

Dies natalis beati patris nostri Sampsonis Xenodochi. Hic cum esset genere Romanus, & Constantini magni consanguineus, diuitias pauperibus distribuit, & ad Regalem urbem profectus, venerabiles domos frequentans, & diuinis literis egregiam nauans operam, tantum profecit, vt Patriarchæ Constantinopolitano innotescens, presbyter ab illo fuerit ordinatus: cumq; Iustiniano Imperatori, quem ipse per reuelationem à graui morbo liberauerat, esset charissimus, nihil ab eo petijt, nisi vt pauperibus curandis opem ferret, quam obrem Imperator domum amplissimam

plissimam hospitem magnis sumptibus erexit, quo loco beatus Sampson piè sanctèq; versatus, requieuit in pace, cuius preciosæ reliquiæ repositæ sunt in templo sancti martyris Mocij.

Eodem die sancti martyris Anecti. Hic Imperatore Diocletiano, & Urbano Præsidente Cæsareæ Cappadociæ cum Christianos doceret, & hortaretur vehementer ne in tormentis deficerent, sed fortiter & constanter in Christianæ fidei confessione persisterent, & propietate mortem oppeterent, comprehensus est; curaque idola ipsa, quibus sacrificium offerre cogebatur, oratione in terram deiecit, baculis à decem militibus verberatus, suspensus, & nouacula manuum ac pedum abscissis digitis, capite exciso, ex quo lac pro sanguine emanauit, martyrio coronatus est.

Die XXVIII.

Inuentio pretiosarum reliquiarum sanctorum martyrum Cyri & Ioannis. fuit autem Cyrus ex vrbe Alexandria, Ioannes verò ex Edessa, vterque pro Christi fide omnium generum tormentis fortiter superatis, migravit in cælum. Inuentæ sunt autem reliquiæ sub Alexandrino Patriarcha Theophilo, & Arcadio Imperatore, quorum martyrum panegyrim hodie celebramus.

Eodem die sancti martyris Papij. hic fuit Diocletiano, & Maximo Imperatorib; inde vsq; à maioribus Christi Domini fidem sequens, & prædicans, pro cuius confessione flagris cæsus, & in lebetem iniectus, oleo & adipe feruētī plenum, septem dies permansit, indutus igne sicut vestimento, quæ res stuporem omnibus attulit, & plurimos ad Christi fidem conuertit.

Die XXIX.


Sanctorum celeberrimorum Apostolorum Petri & Pauli.

Die XXX.

Celebritas omnium Apostolorum.

℞

IULIUS



IULIVS.

Mensis Iulij die primo.

CERTAMEN sanctorum martyrum Cosmæ, & Damiani qui Romæ sunt, sub Carino Imperatore. Hi cum medicinæ artis essent periti, non aliam curationis mercedem, quam in Christum fidem, & confessionem recipiebant.

Die II.

Natalis beati patris nostri Iuuenalis Archiepiscopi Hierosolymitani. Hic fuit Theodosio minore Imperatore tertius post Cyrillum Hierosolymarum Episcopus, recta fide & pietate insignis, qui cum Hierosolymitanam Ecclesiam triginta sex annos rexisset, in pace requieuit.

Die III.

Sancti martyris Hyacinthi Cubicularij. Hic ex Cæsarea prima Cappadocum ciuitate Imperatoris Traiani mensæ ministrabat: accusatus verò, quod esset Christianus, toto corpore verberatus in carcerem iniectus est, vbi post dies aliquot, ieiunus permanens, Deo spiritum reddidit.

Eodem die sanctorum martyrum Theodoti, Theodotæ, Diomedis, Eulampij, Asclepiodoti & Golinduchi.

Eodem die sanctorum martyrum Marci, & Muciani qui cum à Maximo Præside admonerentur, vt idolis immolarent, à paruo quodam puero ad aram stante nõ permittebantur, quem puerum comprehensum Gentiles ferula centum quinquaginta verberibus cæciderunt, iubente Præside cui puerulus, Nunquid, inquit, iudex & literas doces? Similiter & Paulus quidam, cum martyres corrobora-

borans,

borans, Christum confiteretur, in carcerem coniectus est, ducti vero ad mortem viri sancti Christum Dominum inuocantes, orabant: Mucianum autem vxor & eius filij sequebantur flentes, quos beatus vir ille sedauit, vxor vero cum plorans, Marco assisteret, abscissum eius caput excepit. Ita sancti martyres gladio percussi, martyrij coronam assecuti, Christo Domino assiterunt.

Die IV.

Sancti patris nostri Andreae Hierosolymitani Archiepiscopi Cretenensis viri docti & sancti, qui ad ædificationem Ecclesiæ multa scripta reliquit.

Eodem die certamen sacrosancti martyris Theodori Episcopi Cyrenæ, qui fuit sub Diocletiano Imperatore, ex vrbe Cyrenæ, ex qua fuit Simon Cyreneus. Hic accusatus apud Præsidentem Dignianum, cum Christum negare nollet, plumbeis virgis cæsus, postea vero abscissa lingua, & multos alios cruciatus, ob Christi confessionem perpeffus, in pace queuit.

Die V.

Commemoratio sanctæ Marthæ matris sancti Simeonis Stylitæ. Hæc fuit virtutû exercitacione & misericordia in pauperes valde insignis, cuius sanctæ reliquiæ multis beneficia conferunt.

Eodem die sanctæ martyris Cyprille. Hæc sub Diocletiano, & Maximo Imperatoribus ex vrbe Cyrenæ, quæ est in Libya, cum accusata esset apud Dignianum Præsidentem, astitit cum Lucia, & Roa, deuotis mulieribus, cumque persuaderi non posset, vt Idolis immolaret, in eius ipsius manus iniectis carbonibus, & thure, cogebatur sacrificare, illa vero clamans, Non est, inquit, hoc inuoluntariè factum sacrificium offerre. Combustis autem digitis suspensa, laniata est, mox de ligno detracta, ex plagis quidem sanguis, ex mammis vero lac instar torrentis defluebat, & sic beata martyr spiritum Deo tradidit.

Eodem die Natalis sancti Patris Athanasij ex monte Atho, qui patriam habuit Trapezuntem, nobilibus ortus parentibus, in vrbe Constantinopoli, disciplinis non mediocriter eruditus, qui amore solitudinis & quietis effectus monachus, Athanasius dictus est: antea enim vocabatur Abramius, qui multis virtutibus clarus migravit ad Dominum.

Die VI.

Certamen sanctorum martyrum Basilij, & sociorum LXX. qui apud Scythopolim martyrium passi sunt.

Et commemoratio sancti Patris Sisois in exercitatione Monastica vitæ admodum nobilis, cui propter eximiam humilitatem & reliquas virtutes suscitandi mortuos gratiam contulit Christus Dominus.

Eodem die alterius sanctæ martyris Luciae. Hæc sancta Lucia non est eadem quæ ex Sicilia fuit, sed in Campana regione orta, detenta est à Rixio Vicario. cum cogereur Idolis immolare, idq; constanter recusaret, sanguinem pro Christi nomine effudit, cumq; illa Rixius Vicarius, eius opera conuersus ad Christi fidem, Antoninus, Seuerinus, Diodorus, Dion, Apollonius, Apamus, Papianus, Cotyus, Oronus, Dapimus, Satyrus, Victor, & alij nouem.

Eodem die Certamen sancti Astij Episcopi Dyrrachij, qui sub Traiano Imperatore Præside Agricolao, in Christianæ fidei confessione perseuerans, plumbatis cæsus est, & post alios cruciatus, precibus ad Deum missis, animam Deo tradidit.

Eodem die sancti martyris Phocæ.

Eodem die Sancti martyris Isauri & sociorum. Sanctus Isaurus Christi mysteriorum Diaconus & socij Athenis orti, Numeriani Imperatoris temporibus, è patria discedentes, venerunt in vrbem Apolloniam, ybi per reuelationem

nem

nem diuini Angeli speluncam ingressi sunt, quam habitabant Felix, Peregrinus, & Hermias Christiani homines, qui pietatis sermonibus ab Isauro nutriti, corporalia nutrimenta illi retribuerunt; ita paulatim eorum admonitionibus tantum profecerunt, ut facultates suas pauperibus distribuendo illum secuti sint. quam obrem apud Pontium Prefectum accusati cum persuaderi non possent, ut Christum ipsum abnegarent, variis tormentis probati, atque ex omnibus incolumes erepti, multis ad Christi fidem conuersis, quorum fuerunt Ruffus & * Ruffinianus germani fratres ordinis Senatorij in vrbe Apollonia cum lata esset sententia, capita gladio subijcetes, animas Deo tradiderunt.

17. Jun. Ruffinus dicitur.

Die VII.

Thomæ in Malæo. Hic ex terrena militia translatus ad celestem, supernæ patriæ amore accensus, omnia pro nihilo duxit, ut Christum ipsum lucri faceret. itaque tam perfectus euasit, ut Dæmones expelleret, cæcos illuminaret, claudos erigeret, fontem aquæ precibus scaturire faceret. Cumque hæc & alia miracula fecisset, requieuit in pace.

Eodem die Sanctorum martyrum Peregrini & sociorum Luciani, Pompeij, Hesyhij, Papij, Saturnini, & Germani. Hi omnes erant quidem ex Italia, sed propter persecutionem Traiani, Byrrachium se contulerunt, ubi cum S. Astium in cruce pendente uiderent, eumque beatum predicassent comprehensi sunt à militibus: Cumque se Christianos esse predicassent, iussu Proconsulis Agricolæ, proiecti sunt in mare Adriaticum, & sic martyrij coronam receperunt.

Die VIII.

Certamen magni martyris Procopij qui fuit Diocletiani temporibus, patre Christiano matre uerogétile ex vrbe * Eliensis accusatus apud Imperatorem, quod esset Christianus, traditus est Vlcio Præsidi Cæsareæ, verberatur vehementer.

Meneana.
gnat
αιλιανω

ter, & in carcerem conijcitur, postea in templum Idolorum deducitur, ubi orationibus Idola subuertit, quo miraculo milites multos ad Christi fidem conuertit, cumq; his Tribunos Nicosratum, & Antiochum, qui ad Christum cōuersi, & baptizati à Leōtio Episcopo, obruncati sunt. vna cum illis captę sunt & duodecim mulieres ordinis senatorij vna cum Theodosia matre Procopij, quę post multos cruciatus obruncatę sunt. Post hęc præfecturam accepit Flavianus inquisitione facta de sancto Procopio iussit Archelao cuidam gladio illum percutere; ille manū extendens mortuus cecidit. postremo post alia multa & varia tormenta iniecto in manum ipsius igne & ture tolerans Athleta inuictus manum cotinuit, ira immobilem, vt combureretur potius quam videretur impijs hominibus sacrificiū illud execrabile Idolis ipsis offerre, ita beatus martyr in ardentem clibanum immissus, atq; illinc illæsus euadens, percussus gladio, migravit ad Dominum.

Die IX.

Commemoratio Eucæriorum venerabilis templi sanctissimę Virginis Dei genitricis Marię, quod est in fonte.

Eodem die Natalis sancti martyris Pancratij Episcopi Tauromenij vrbis Sicilia. Hic Antiochenus genere à B. Petro Apostolo ad Christi fidem conuersus, & ab eodem ordinatus Episcopus Tauromenij, venit ad Siculos, quos & ab initio ad Christum conuertit, euerfis Dæmonum simulacris cum eius regionis Duci Bonifacio persuasisset, vt in Christum crederet, & Ecclesiã ædificaret. in dies igitur plures ad fidem conuertens ac baptizans, absente Bonifacio Duce à Montanis interfectus est.

Eodem die Cerramę sanctorum Patrum Paternithij, Copri,

Copri, & Alexandri, qui Iuliano Imperatore Apostata in Ægypti solitudine quietam vitam degentes, delati sunt, quod essent Christiani. Cum subdolis Apostatę adulationib⁹ Coprus deceptus, Christum negasset, Paternuthius, liberius Iulianum Imperatorem redarguit, & Coprum à lapsu ad fidem reuocat, ita vt qui paulo ante Christum abnegarat, cōfessor effectus sit, accensa igitur fornace, uterque in eam coniectus est, in qua cum permanissent incolumes, Alexandrum militem ad Christi fidem conuertunt, qui cum ipsis etiam fornacem subiit, ex qua egressi, obruncati sunt.

Eodē die Sacrosancti martyris Cyrilli Episcopi Gortinę qui sub Diocletiano Imperatore in extrema senectute Christum ipsum claro præconio prædicans, vincus in ignem iniicitur; sed vinculis quibus tenebatur combustis, & lignis in cinerem dissolutis, ac sancto illo viro permanente incolumi, ei⁹ rei miraculo ad fidem plurimi conuersi sunt. Quocirca iudex illum obruncari iussit, Istaq; B. Cyrillus martyrij coronam accepit.

Die X.

Certamen sanctorum martyrum, qui passi sunt apud Nicopolim Armenię sub Licinio Rege, & Lysia Præsidente quorū primi erant Leontius, Mauritius, Daniel, & Antonius: diuersis autem cruciatibus tentati, ac postea in caminum ignis iniecti, in Christi confessione permanētes, scelerem sui certaminis finem consequuti sunt.

Eodem die Beatorum martyrum Bianoris & Siluani, quorū sanctus Bianor ex provincia Pisidię propter Christi cōfessionē à Seueriano Præsidente Isaurorū ciuitatis Euphratis cū cogeretur Christū abnegare, nec persuasus esset, grauius casus, & suspensus, globis igneis adustus est, quin etiā dentes auulsi & aures abscissę sunt: Siluanus vero quidam

dam videns Bianor tolerantiam Christo credidit, & statim lingua illi abscissa est, postea & caput humeris auulsū est, sanctus vero Bianor perforatis talis, dextro effosso oculo, & capitis pelle detracta, ceruicem gladio supposuit, & sic martyrio coronatus est.

Eodem die Certamen sancti martyris Apollonij ex Sardis ciuitate Lydiæ, qui oblatu Perinio Præsidi tunc existenti in vrbe Iconio, professus se Christianum esse, Idola irridens, cum cogere per fortunam Imperatoris iurare, cui ille, Nefas, inquit, per Imperatorem, mortalem hominem iurare, per eum præsertim, qui vniuersarum rerum creatorem non agnoscit, propter hæc beatus martyr ligno crucis affixus, Deo spiritum tradidit.

Dis XI.

Sanctus Martianus adolescens in vrbe Iconio martyrium passus est, à Perinio Præsidi condemnatus, propterea, quod eius impietatem redarguens, clara voce Christum dominum verum Deum esse cõfitebatur. Itaque in ignem & iniectus, & lingua compunctus, gladio percussus est.

Eodem die certamen sanctæ magnæ celebrisq; martyris Euphemie, quæ temporibus Diocletiani, & Prisci Proconsulis Europæ ex vrbe Chalcedone, accusata quod esset Christiana in ignem coniecta, feris exposita, & alijs tormentorum machinis tradita, omnibus fortiter toleratis, martyrij coronam accepit.

Eodem die Cindei Presbyteri. Hic ex oppido Telmedia Sidæ Pamphiliæ sub Imperatore Diocletiano, ductus ad Straticum Præsidem, Christum confessus est: quomobrem ferreos calceos clavis defixis munitos indutus, ad portam cucurrit, postea in ignem iniectus, euasit incolumis, & Deum precatus tradidit spiritum, cuius pretiosas reliquias

reliquias Orestes quidam Vmanadensis genere, Christi Diaconus, in patriam suam translatus per manus sacerdotum more maiorum reponendas curauit.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Golinduch, quæ mutato nomine Maria dicta est. Hæc ex Perfide cum habitaret cum viro quodam magorum Principe, Rege Persarum Costoe, Romanorum Imperatore Mauritio, angelica visione admonita, statim baptizata est, & Mariæ nomine appellata, quæ multos post annos, plurimis editis miraculis tenui quadam febre detenta mundo ipsi salutem precata, spiritum Deo commendauit.

Die XII.

Sanctorum martyrum Procli & Hilarij sub Traiano Imperatore martyrium passi, quorū primus sanctus Proclus coram Traiano Christum confessus, Maximo Præsidi traditus, lampadibus ventre & lateribus comburitur, in ligno suspenditur, pedibus saxo grauatis, postremo sagittis vulneratus migravit ad Dominum. Postea sanctus Hilarius B. Procli consobrinus Christianum se esse professus, suspensus verberatur, & ad tria miliaria tractus abscisso capite cum sancto Proclo depositus est.

Die XIII.

Natalis sancti martyris Serapionis, qui fuit sub Seuero Imperatore, diuinæ pietatis studiosus & probitate morū insignis, qui detentus ab Aquila Præsidi, interrogatus cuiusnam esset religionis, libera & clara voce respondit, se Christum Dominum colere; quamobrem igni traditus, martyrij coronam reportauit.

Eodem die sanctæ martyris Myropis temporibus Decij Imperatoris, quæ primum habitauit in Insula Chio, postea verò ad Ephesiorum urbem profecta, religiosè
I admodum

admodum hauriebat unguenta ex sanctorum martyrum corporibus profuentia, ex quo & cognomen sortita est; postea in Insulam Chium reuersa, & se Christianam esse confessa, à Præside Numeriano uerbis vehementer verberata, Deo spiritum reddidit.

Eodem die celebritas Gabrielis Archangeli & commemoratio sancti patris nostri Stephani Sabaitæ.

Die XIV.

Certamen sancti martyris Iusti, qui fuit ex vrbe Roma militans sub Tribuno Claudio, reuertens vero aliquando à cæde Barbarorū vidit Crucem instar crystalli apparentem, & illinc exeuntem vocem audiuit *qua diuina* pietatis mysterio distribuit, Romam profectus, facultates suas pauperibus distribuit, Christi fide exultans: quæ res cum Tribuno innotuisset, & Christi martyr à propòsita confessione discedere nollet, illum misit ad Præsidem Magnentium, à quo interrogatus, cum in Christiana confessione constanter permaneret, iussus est cūctis neruis verberari, postea ignita galea capite indui, & globos ferreos igne accensos eius maxillis supponi, quæ omnia, & alia eiusmodi tormēta fortiter perferens Beatus martyr, Deum celebrans in caminum iniectus spiritum tradidit, eius sancto corpore integro permanēte, ne pilo quidem læso ab igne, in quem fuerat iniectus.

Eodem die Natalis S. patris nostri confessoris Iosephi Archiepiscopi Thessalonicensis, qui fuit sub Theophilo Imperatore filius Photini & Theoctistæ Theodori Studitæ germanus frater. hic cum esset probatæ vitæ & rectæ fidei, communi suffragio Thessalonicensis Episcopus creatus est. Cumq; vna cum Theodoro assisteret sanctarum imaginum oppugnatori Theophilo, nec eius impie-

rati cederet, confessor Theodorus exul Appolloniadem missus est, Ioseph vero in carcere multas ærumnas perpeffus, in sanctarum imaginum cultu persistens migravit ad Dominum.

Eodem die sancti Aquilæ, cuius laudes B. Lucas in actis Apostolorum descripsit, fuit enim Apostoli Pauli discipulus, & hospes, ab illo rebus diuinis instructus. itaq; errorem Dæmonum respuens sacerdos, & martyr passionum Christi effectus coronam ab illo accepit.

Die XV.

Sanctorum martyrū Cyrici & Iulittæ. Hic fuit sub Diocletiano Imperat: ex vrbe Iconio, quæ propter imminentem persecutionem celeberrimum Cyricum tres annos natum accipiens, venit Seleuciam, sed cùm illic quoque eandem Christianorum persecutionem inuenisset, migravit Tarsum Ciliciæ, vbi Alexander quidam Præses immanis & ferox, Christum inuocantes homines cruciabat, à quo Iulitta comprehensa torquebatur, extracto ex eius manibus puero, conatus Præses illum blanditijs allucere. cùm non posset eum flectere, ad matrem intentis oculis spectantem, & balbutiente voce Christi nomen inuocantem, & Præfectum ipsum despicientem. Nihilominus tamen cum Præses amplius conaretur illum ad se trahere, puer in eius ipsius ventrem calce extensa, iudicis iram in se ita concitauit, vt de gradibus tribunalis deiectū ad parietem, eius caluariam allisam comminui fecerit. Itaq; beatam animam sanctus puer emisit, sancta verò Iulitta post multos cruciatus Christum ipsum abiurare non passa, capite obrucato certaminis palmam consecuta est.

Eodem die sancti martyris Abudemij, sub Diocletiano Imperatore ex Insula Tenedo, qui detentus cum cogebatur Christum abnegare, & execrabiles victimas de-

gustare, nec id facere pateretur, flagris cæsus, & multa alia tormenta perpeffus in Christianæ Confessionis constantia permanēs, beata martyrij corona donatus, migravit ad Dominum.

Eodem die Natalis sancti martyris Antiochi, hic fuit ex vrbe Sebestia medicinæ artis peritus, qui detentus ab Adriano Præside, & ob Christianæ fidei professionem in ardentem lebetem iniectus, & alia tormenta perpeffus, obruncatus est; Ex cuius iugulo lac profilijt, quod miraculum, Cyriacus, qui eius caput absciderat, cum vidisset, libere Christum ipsum confessus, & Idolis Adriani Præsidis Anathema pronunciaffet, & ipse obruncatus est capite, & appositus S. Antiocho.

Eodem die sanctarum martyrum Valentinæ & Thæ, quæ fuerunt ex Ægypto ad urbem Diocæsaream deductæ, Firmiliano Iudici oblata, Christi veri Dei nostri confessæ nomen, sinistris pedibus combustis, & dexteris oculis effossis, gladio & igne consummata sunt. cumq; illis alij multi viri & mulieres Christi nomen confessæ martyrium pertulerunt, è quorum numero Beatus Martyr Paulus post latam sententiam, vt gladio percuteretur, stans & orans pro Christianis, pro Iudæis, pro Samaritanis, pro Græcis, pro alijs quoq; gentibus, vt ad verbi Dei notitiam venirent, & Christianorum persecutio cessaret, ad misericordiam & lachrymas omnes attraxit. Itaq; capite obruncatus est.

Eodem die sanctorum martyrum Onesiphori & Porphyrij ex vrbe Iconio, quorum Onesiphorus fuit discipulus Pauli Apostoli, cum primum in urbem illam venisset, & hospitio in eius domo acceptus esset, à quo cum tota familia baptizatus est, eumq; B. Apostoli doctrina salutari eruditus esset, multos ad Christi fidem & ipse conuertit.

Quam-

Quamobrem apud Hellespontum sub Hadriano Procō-
sule propter Christianæ fidei confessionem verberatur
vehementissime, & cum Porphyrio seruo Christiano ho-
mine ferocibus equis alligatus, & ad quatuordecim mil-
liaria tractus, spiritum Deo tradidit, vna cum illo, &
B. Porphyrius omnia pro Christi fide certamina constan-
ter sustinens, migrauit ad Dominum.

Die XVI.

Natalis Beati martyris Athenogenis Episcopi Pidach-
thoes ex vrbe Sebastia sub Imp. Diocletiano, qui detentus
à Philomarcho Præside cum decem discipulis suis, mul-
ta tormenta cum illis ipsis passus, gladio percussus, capite
obtruncatus, quieuit in Domino.

Eodem die Sancti martyris Fausti, qui sub Decio Imp.
propter Christianæ fidei confessionem comprehensus,
& libere Christum ipsum professus, cruci affixus, & sagit-
tis vulneratus, cum quinque dies in cruce cōstanter per-
mansisset, in manus Dei spiritum commendauit.

Eodem die Celebritas sanctorum sexcentorū trigin-
ta Patrum quartæ synodi œcumenicæ in vrbe Chalcedo-
ne, tempore Martiani Imperatoris.

Die XVII.

Sanctæ martyris Marinæ. Hæc fuit ex Antiochia Pifi-
diæ, filia Edesij sacerdotis Idolorum, quæ oblata Olyb-
rio Præsidi, multis tormentis cruciata, Christum non ne-
gauit, postremo capite abscisso martyrij coronâ suscepit.

Eodē die S. martyris Hyacinthi apud Amastridē. Hic
ad Castrisum Præsidem, & Amastridis vrbis magistratus
cum ductus esset, Christianam fidē professus verberatur
vehementer, euulsisq; dentibus, per mediam vrbe funi-
bus trahitur, & acutis calamis vulneratur, postea cōiectus
in carcerem, Deo ipsi spiritum commendauit.

Eodem die sanctæ martyris Theodotæ. Hæc ex vrbe
Cōstan-

Constantinopoli; cum ex facultatibus suis tres sanctus imagines fieri curasset, vnam Christo Domino, alteram Dei Genitrici, tertiam sanctæ Anastasiæ, reliquas opes pauperibus & orphanis distribuit, cumq; post multâ virtutis exercitationem beata Theodota, cū multis alijs religionis sceminis pro sanctarum imaginum cultu seruâdo laborarent, Impij Leonis Imp. iussu gladio percussa cōsummata est.

Die XVIII.

Sancti martyris Emilianii. hic fuit ex Durostolo vrbe Myſiæ, serui Græci cuiusdā, tēporibus Iuliani Apostate, & Capitolij. Cū vero Christū coleret, & Idola execeraretur, nactus opportunū tēpus, arrepto malleo, ingressus in templū idolorū simulacra omnia cōtriuuit, & sacrificia dispersit, adieſq; Præsidē, se ipsum denunciauit, qui verberatus, & in fornacem ignis iniectus spiritum Deo cōmendauit.

Die XIX.

Natalis sancti Patris nostri Dij, & B. Macrinæ sororis Basilij magni. fuit Dicus sub Theodosio magno apud Antiochiā Syriæ in virtutis exercitatione plurimū profecit, cumq; diuina reuelatione venisset Constantinopolim, locum delegit, in quo monasterium ædificauit, multis pecunijs ab Imperatore suppeditatis quibus opus ipsum perficere posset, quin etiam Atticus Patriarcha illū cogens presbyterum ordinauit, qui cum esset sanctitate præditus, diuina virtute atq; inuocatione Christi operat⁹, migravit ad Dominum. Sancta vero Macrina specie corporis, & morum probitate ornata, iuncta quidem est sponso, sed antequā couenirēt, ille mortu⁹ est; cumq; ipsam multi coniugē habere cuperent, maluit viduitatē seruare, quā iterū nuptias subire. Itaq; omni mundana cōmixtione se ipsam separās cū matre viuebat, diuinis rebus vacans secūdæ matris loco filios post se natos nutriens. Cum enim decem essent filij, hæc omniū fuit prima, quæ cū fratre Gregorio de anima

ma

ma philosophata, ad extremū religiosam & sanctā vitam ducēs, migravit ad Dom̄. *Die XX.*

Natalis beati Prophetæ Eliæ, qui de cœlo ignem detulit, pluuiam detinuit annis tribus, & mensibus sex, duos quinquagenarios combussit, in monte Choreb Deum vidit, Iordanem scidit melote, & in cœlum curru igneo assumptus est. *Die XXI.*

Natalis beatorum patrum Ioannis & Simeonis, qui propter Christum cognomento Salo, hoc est stultus appellatus. Hi duo fuerunt ex vrbe Edessa Syria, Imperatore Iustino iuniore, qui diuino desiderio comoti, profecti sunt ad sanctam ciuitatem, vbi cum viuificæ crucis lignum adorassent, in monasterio sancti Gerasimi à sancto Nicone illius Mansionis Præposito, suscepto habitu, monachi effecti sunt, atq; illinc ante septimum diem egressi, eremum adierunt, vbi quadraginta annos omnem vitæ duriciem exercuerunt. & Ioannes quidem remansit in eremo, beatus vero Simeon reuersus est in sanctam ciuitatem, vbi cū viuificum Christi sepulchrum adorasset, & Deum ipsum precatus esset, vt Mundum & homines lateret quandiu in hac vita superstes esset, ad urbem Emesam venit, vbi per simulationem stultitiæ multis editis miraculis requieuit in Domino. quo tempore post obitum, quantæ sanctitatis esset, cognitus est. Cum enim duo pauperuli homines sine vlla funebri cura, illotum, thuris, & psalmodiæ omnino expertem ad sepulchrum efferrent, Hebræus quidam multā psalmodiam audiēs, prospexit è domo in qua erat, vt videret quinam essent psalmodiarum cantores, cumque à duobus pauperulis hominibus sanctum illum virum efferri vidisset, animaduertens quod Angeli essent, qui psalmos canerent, beatus inquit, es Salo, qui cum non homines psallentes habeas, Angelos habes hymnos canentes. Post aliquot dies, veniēs Ioannes amicus &
mona-

monasticæ exercitationis socius inuenit beatum Simeonem migrasse ad Dominum, cumque sanctus Ioannes paucos post dies requieuit in Christo.

Eodem die sancti Prophetæ Ezechielis.

Die XXII.

Natalis sanctæ Mariæ Magdalenzæ.

Die XXIII.

Sacro sancti martyris Phocæ. Hic fuit sub Traiano Imperatore, vitæ innocentia & virtutum splendore insignis. Qui adductus ad Africanum Præsidentem, libere Christum prædicâs eius fidem docebat. Cû verò Africanus Christum blasphemare cœpisset, & sanctum Phocam affigere, facto terræmotu cadens cum suis militibus exanimus iacebat, quem beatus Phocas ab ipsius vxore rogatus à mortuis suscitauit, ductus vero ad Traianum Imperatorem suspensus est ac laniatus, sed in Christi confessione persistens, in ardentem fornacem iniicitur, vnde illæsus egrediens, in lauacrum valde feruidum immissus est, Deumq; precatus emisit spiritum.

Eodem die Natalis beatorum martyrum Apollinaris, Vitalis Episcopi Rauennatis, Apollonij Romani, & sancti martyris Eugeni.

Eodem die sactorum martyrum Trophimi, Theophili & sociorum, qui sub Diocletiano iniquo & Tyrannico Imperatore, cum eius voluntati obtemperare, atq; impuris simulachris immolare, & Christum ipsum abnegare non passi, lacerati sunt & lapidibus percussi postea fractis eruribus in ignem iniecti, ex quo incolumes seruari, gladio percussi sunt.

Vulgarium:

Eodem die commemoratio eorum, qui sunt apud Vulgariam interfecti sub Nicephoro Imperatore Patre Stauratij, nono anno eius imperij, quorum alij letalibus plagis acceptis, à vita discesserunt, alij viuentes capti, cum

cum Christum abnegare non paterentur, multiplici & acerbae morti subiecti sunt. alij enim ense obruncati, alij funibus vinciti, & suspensi suffocati sunt, alij sagittis vulnerati expirarunt, alij carceribus & fame consumpti, martyrij corona donati sunt.

Die XXIV.

Sanctae martyris *Christinae*, quae fuit ex Vrbe Tyro Urbani cuiusdam Ducis exercitus filia, quae propter Christianae fidei confessionem, cum Patris Idola confregisset, & pauperibus distribuisset, aurum & argentum ex quibus Idola ipsa confecta erant, varijs supplicijs à Patre subijcitur, postremo à Iuliano quodam Praeside, venenatis serpentibus tradita est, abscissis mammis, & lingua, quae omnia forti, & constanti animo perpessa, Deo spiritum commendavit.

Eodem die certamen sanctorum martyrum *Menci*, & *Capitonis*.

Die XXV.

Natalis sanctae *Annæ* matris Beatae genitricis Dei *Mariae*.

Eodem die sanctae *Eupraxiae* filiae *Antigoni* cuiusdam senatorij ordinis & *Eupraxiae* sub *Theodosio* Imperatore cuius erat consanguinea; mortuo autem *Antigono* mater *Eupraxia* *Theodosio* illam commendavit, qui senatorio cuidam viro despondit: illa verò discedens cum matre in *Thebaidem Aegypti* profecta ad monasterium ingressa, in quo erant virgines centum & quatuor, parem Angelis vitam ducentes, emulata earum virtutem à monasterio ipso discedere passa non est: erat autem tunc virgo sexdecim annos nata: mater verò illinc discedens *Orientis* monasteria obeundo possessiones multas & beneficia indigentibus contulit. Posthæc cum in morbum incidisset,

m. reuerſa

reuerſa eſt ad māſionem, in qua filiū reliquerat, cum q; omnes facultates ſuas filia comiſiſſet, requieuit in Domino. Eupraxia vero cū bona omnia pauperib; & Eccleſijs Dei diſtribuiſſet, monaſtica vitæ exercitationem egregie amplexa, tantum in virtute profecit, & neceſſitates corporis ſubiugauit, vt per quādraginta quinq; dies immobilis ſteterit, intenus ad cælum manibus. Itaque propter excellentem virtutem beata Eupraxia miraculorū gratiam accepit, qua multos à varijs languoribus liberauit, & ipſa beatum finem aſſecuta, ad Dominum translata eſt.

Eodem die ſanctæ Olympiadis, quæ fuit ſub Imperatore Theodoſio, Arcadio, & Honorio filijs, Anij ſecundi Comitum filia, neptis Ablauij Præfecti, ſponſa pauliſper Nebridij, qui fuit ex numero Præfectorum. Cum autem adhuc eſſet virgo, eius viro ante copulam de medio ſublato, & virgo ſimul & vidua remanſit, omne tempus tranſigens in ieiunijs, & orationibus, & pauperum beneficentia. Itaque omnes opes ſuas in curam Chriſti ſacerdotum exauſit, præſertim in ſanctum Ioannem Chryſoſtomum, quem præcipuè honorabat.

Die XXVI.

Sancti martyris Hermolai, & ſociorum. Sanctus Hermolaus, & ſocij eius, Hermippus, & Hermocrates, ex clero Nicomediensis ſanctæ Eccleſiæ fuere preſbyteri, ſuperſtites relictī ex ijs ſanctis qui à Maximiano Tyranno in Eccleſia combuſti ſunt, qui denunciati, quod Pantaleemonem occultaffent, ad Maximianum ducti cū Chriſtum Deum verum confeſſi prædicaffent, obtruncati ſunt.

Eodem die Natalis beate martyris Paraſceues, quæ fuit Antonino Imperatore ex oppido quodam in finibus

bus antiquioris Romæ Christianis parentibus genita, quæ delata quod Christianam fidem coleret, multis tormentis cruciata in confessione perseverans, gladio percussa, spiritum ad sempiternas mansiones transmisit.

Die XXVII.

Natalis beati martyris *Pantaleemonis*, qui fuit ex vrbe Nicomedia, patre *Eustorgio* Gentili, & matre *Eubula* Christiana, medicinæ artis perit^o, ab *Hermolao* Presbytero, Christi fidem edoctus, & propter eius cōfessionem, minas, verbera, carcerem tetrum atque incendium perpeffus ad cœlestem patriam migravit.

Eodem die commemoratio beatæ *Anthuse* sub Constantino Imperatore cognomento Copronymo. Hæc religionis causa relinquens parentes, in montibus, & speluncis versabatur. Cum vero monachus quidam presbyter ad Martinei loca se contulisset, beata *Anthusa* ad eius imitationem excitata, tam magnos in virtute progressus fecit, vt ad ardentem clibanum ignis, ipsius iussu ingressa, nihil passa exierit incolumis. Multis autem miraculis à Deo ipso digna effecta, cum imaginem Christi coleret, illam abregare Copronymus cogebar. itaque flagris cædi iussit fratrem consobrinum, quem beata illa virgo ad sãctarum imaginum venerationem hortabatur: postea & ipsam quoq; crudis neruis verberavit, quæ sacras imagines supra caput accensas suscepit, mox in exilium mittitur, & *Reginæ* in partu vehementer laboranti fore prædixit, vt duos liberos fœminã & marem gigneret, prænũcians.

gians vtriusq; vitam & statum; Quamobrem Regina ipsa Monasterijs, quæ sub illa erant, beneficia multa contulit, & Tyrannus ipse à conatu abstinuit, ita virtus ipsa scit & feras mansuefacere. Cum igitur tam religiose vixisset, in summa senectute accessit ad Dominum.

Die XXVIII.

Natalis Beatorum Prochori, Nicanoris, Timonis, & Parmenæ. Hi cum essent ex numero sanctorum Apostolorum in diuersis locis propter Christianæ fidei prædicationem, ab impijs persecutionem passi, eò quod Christum Dominum filium Dei, & perfectum hominem esse confiterentur, martyrij coronam assecuti sunt.

Eodem die Sancti martyris Eustathij apud Ancyram. Hic cum esset miles adductus ad Corneliū Ancyræ Præsidem, interrogat⁹ libere Christum cõfessus est; quamobrem verberatur, & talis perforatis, funibus comprehensus, tractus est ex vrbe Ancyra vsq; ad flumen Sangarum, sequente & spectante ipso Præside, illic in arca inclusus in flumen deiectus est, sed diuino nutu factū est, vt Angelus Dei arcam ipsam ad continentem terram extraxerit. Itaque inuentus est sanctus ille incolumis canens psalmum illum: Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur, & quæ deinceps sequuntur. Hæc cum cognouisset Præsides erubescens, educto gladio seipsum interfecit: Sanctus vero Martyr orans, & diuinū donum participans per columbam è Cælo volantem ad se missum, in sancti illius Angeli, qui astiterat manus spiritum commendauit: eius autem corpus in vrbe Ancyra depositum est.

Eodem die Natalis sancti martyris Acatij. & Commemoratio Encæniorum templi sanctissimæ Dei genitricis Mariæ. Et certamen sanctorum Martyrū Quintiliani, Dada,

da, Maximi, & Callinici. sanctus martyr Acatius fuit temporibus Licinij, cui oblatus, & Christianum se esse confessus, supensus laceratur, postea traditur Terentio Tribuno, à quo in ardentem sartaginē inijcitur, pice, oleo, & seuo plenam, vnde ereptus Præsidem, A pameam, & A poloniam proficiscentem sequi iussus est. Postea in templum Idolorum adductus, oratione Idola omnia cōtriuit: mox Tribuno traditus verberatur vehementer, & feris obijcitur; Cumq; fornacem ardentem introisset, illæsus fornacem opinatus, accessit, vt sciret quonam modo res se haberet, statim combustus in cinerem redactus est. Post hæc datur Posidonio qui ferreum onus illi imponēs duxit in urbem Milerum, vbi rursus Idola cōminuit, ad hæc capite obruncato sanguis, & lac ex plaga scaturiuit, Leontius vero presbyter Sancti martyris reliquias in domo cuiusdam nomine Dorymedontis in vrbe Synadonensi reposuit.

Die XXIX.

Natalis Beati martyris Callinici, qui genus duxit ex Cilicia egregijs moribus in Deitimore à puero educatus multos docuit viam salutis. Itaq; Idolorum errore detentos homines admonebat, vt rebus illis vanis abstinerēt, & vniuersarum rerum Creatorem Christum agnoscerent. quamobrem comprehensus ad Præsidem Sacerdonem ductus omnium generum tormentis subijcitur, & crepidis ferreis rectorum clauos habentib⁹ calceatus iussus est ante equos Præsidis currere vsq; ad urbem Gangram distantem stadijs octaginta. cum vero siti qui illum ducebāt detenti nō possent vlti⁹ progredi, orans martyr ex petra aquã eduxit, quæ ad hanc vsq; diem scaturit: vbi vero Gangram venit; in caminum ignis iniectus, spiritum Deo tradidit.

m 3

Eodem

Eodem die Sanctæ martyris Theodotæ & filiorum. Hæc fuit ex vrbe Nicæa, admodum pietatis & Dei Præceptorū studiosa, filios erudiens disciplinam Domini, ipsædem temporibus quibus & Sancta martyr Apastasia viscebat, detenta vero à Leucito Præsidente cuius nuptias ipsa recusauerat, ob eam præcipue causam, missa est ad Nicetium Præfectum Bithyniæ à quo simul cum tribus filijs in caminum ignis iniecta, martyrio coronata est.

Die XXX.

Natalis sanctorum Apostolorum Silæ, & Siluani, ac fortiorum qui in vrbe Chalcedone, & Gallia, atque in orbe terrarum Christianæ fidei verbum prædicantes multos ab impietate ad veri Dei noticiam cōuersos baptizarunt, & in pace animas Deo ipsi reddiderunt.

Eodem die certamen sanctæ martyris Iulittæ, quæ fuit ex vrbe Cæsareæ Cappadociæ, quam & Basilius magnus encomijs honorauit. Hæc cum cupisset apud præsidem Cæsareæ quendam iniquum hominem accusare, quod agros, villas, & pecora iniquè ac per fraudem alienas facultates ad se transferret, calumniatoribus, falsis testibus & iudicum corruptionibus innitens; statim ab iniquo illo obiectum est, quod esset Christiana, & propterea non conueniret, illam rerum publicarum participem fieri, quippe quod Imperatorum Deos non coleret. illa vero rerrena omnia contemnens, Valeat, inquit, vita hæc & huius mundi gloria, ego enim verum omnium creatorē & opificem non negabo. atque illico iniquus Iudex igni eam tradidit: fornax vero continens sanctæ martyris corpus, tanquam thalamus quidam effulgens, animam ipsam ad cœlestem Choream transmisit; Preciosum vero eius corpus incorruptum, omnibus Christianæ fidei cultoribus seruauit.

Die

Die XXXI.

Natalis Beati Eudocimi iunioris, qui sub Imperatore Theophilo, Christi Domini osore, claris ortus parentibus, erant enim Patritij, Orthodoxæ fidei cultores, Basilius & Eudocia, Cappadoces genere, quorum virtutem sequens probatæ fidei, & vitæ Eudocius eleemosynas quam plurimas quotidie largiebatur, sanctis Ecclesiis præclara dona offerens, viduis, & orphanis subueniens. Denique Beatus ille iuxta Dei præcepta viuens, omne virtutis genus exercens, corporis infirmitate detentus, spiritum Deo tradidit, eius vero consanguinei, prout ab illo iussi fuerant, cum indumentis, & calceis, illum sepelierunt, multis à Deo ipso decoratum miraculis. Et corporis quidem sancti translatio facta est sexto die mensis Iunij, dormitio vero trigesimo primo Iulij.



AUGVSTVS.

Mensis Augusti die primo.

COMMEMORATIO sanctorum Machabeorum, Eleazari, Solomonidis, & filiorum, qui fuerunt sub Antiocho filio Seleuci, à quo tota gens Hebræorum perditæ, & in seruitutem acta est, extat in eorum laudem sancti Gregorij Nazianzeni oratio.

Eodem die Commemoratio sanctorum nouem martyrum apud Pergem Pamphylia passorum, Leontini, Artij, Alexandri, Cindei, Moesichei, Cyriaci, Meneij, Catuini & Euclæti: omnes hi temporibus Diocletiani Imperatoris & Flauiani Præsidis apud Pergem Pamphylia, inde vsque à maioribus Christiani, ex quibus Meneus erat faber, reli-

qui

qui vero Agricola, sed omnes vnā mentem & sententiam habentes martyrij certamen subierunt, itaq; nocte quadam templum Dianæ ingressi, idola, quæ illic erant, subuerterunt, quamobrem comprehensi ac verberati & ferreis vnguibus laniati, feris obiecti in Christi confessione perseverantes, obruncati sunt.

Die 11.

Natalis beati Stephani Papæ Romani, qui sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus propter persecutionem delitescens, ad se venientes gentiles baptizabat; cū vero comprehensus in carcere detineretur, ordinavit Presbyteros, Diaconos, & lectores illic, & Nemesij cuiusdam Tribuni filiam curatam, & ipsam & eius patrem Nemesium baptizavit, quem & Diaconum fecit. baptizatus etiam ab eo fuit Sempronius Nemesij seruus & Olympius cum Exuperia vxore, & Theodulo filio, qui & baptizati sunt à sanctissimo Papa Stephano inter viam Latinam & Appiam, quorum sanctas reliquias collegit beatus Pontifex. post hæc Sempronius, Olympius, Exuperia, & Theodul^{us} ad statuam Solis ducti obruncati sunt, quos in monumento deposuit beatissimus Stephanus; qui cum esset quæsitus, non est inuentus, latuerat enim paulo ante propter salutem eorum, qui per ipsum crediderant: detenti sunt autem pro illo eius discipuli numero duodecim quorum nomina hæc sunt Bonus, Faustus, Maurus, Primitius, Columniosus, Ioannes Exuperantius, Cyrellus, Honoratus, Theodosius, Basilus & Castus, qui statim sunt obruncati & sepulti à Tertullo quodam Christiano, quem beatus Stephanus Presbyterum ordinavit, & Saputius Tribunus, paulo post suspensum & neruis cæsum igne combussit. post hæc ductus est ad examen beatus Stephanus ad templum
Martis

Martis quod precibus suis destruxit, postea sacro ministerio inseruiens obruncatus est, cū quo & Tarfitius Dominicum corpus ferens, in ligno extensus, interfectus est. Post sanctum Stephanum, ordinatus est Pontifex Sixtus, interfectus & ipse postea cum sanctis martyribus Laurentio & Hippolyto.

Die IV.

Natalis sanctorum septem in vrbe Epheso dormientium Maximiliani, Exacustodiani, Iamlici, Martiniani, Dionysij, Ioannis & Constantini,

Eodem die relatio sanctarum reliquiarum Beatæ matris nostræ, & martyris Eudociæ.

Eodem die Natalis beati martyris Eleutherij, qui fuit ex ciuitate Byzantio, vnus ex ordine senatorio, conuersus autem ad Christi fidem baptizatus, & Chrismate vnus sacramentorum particeps factus est, quem cum Imperator Maximianus Christianum esse cognouisset, gladij supplicio supposuit.

Eodem die Natalis beatæ martyris IA & sociarum. Hæc sub Sapore Rege Persarum, prouectæ ætatis scemina, comprehensa cum nouem millibus Christianis captiuis, à Principibus Magorum varijs tormentis, & acerbis cruciatibus traditi sunt, cum quibus & beata IA fortiter & constanter perseuerans, gladio percussa, martyrio coronata est.

Die V.

Natalis beati martyris Eufignij, qui cum esset Antiochenus genere, & miles sub Constante Chloro patre Magni Constantini, peruenit vsq; ad Apostatæ Iuliani tempora, annum agens centesimum & decimum, qui annos sexaginta septem in militia excelluerat. Hic ante Iulianum constitutus ad examen, Imperatorem ipsum, vt patriæ pietatis desertorem redarguit, quippe, qui honorem

norem ipsius Dei ad Idola vana transtulisset. Hæc cum diceret, & magni Constantini virtutem commemoraret, alijs quidem prudens longa ætate & usu rerum visus est; sed Iulianus cum irridens, ense caput abscindi iussit. Itaque eius ipsius in Christo martyrium completum est.

Eodem die sanctorum duorum martyrum Cattidij & Cattidiani, qui propter Christianæ fidei confessionem lapidati in cælum ascenderunt.

Eodem die commemoratio sanctæ Nonnæ matris sancti Gregorij Theologi in pace quieuit.

Eodem die Natalis beati martyris Sobelis Ægyptij, qui perseverans in Christi cōfessione consummatus est.

Die VI.

Transfiguratio Domini nostri Iesu Christi, quam sancta Ecclesia solenniter celebrat.

Die VII.

Natalis beati martyris Dometij Persæ, qui temporibus Constantini Magni, cum esset Persa genere, instructus à Christiano quodam Ἀβάζω relicta patria impietate veniens in urbem Nisibenam baptizatus, & Monachorum habitu indutus, propter Christianæ fidei confessionem à Iuliano Apostata cum duobus discipulis lapidatus martyrij coronam suscepit.

Die VIII.

Commemoratio sancti Æmiliani Episcopi Cyzici. Hic propter sanctarum imaginum cultum, multas ærumnas perpeffus in exilium ab impio Imperatore Leone missus, accepta cōfessionis corona dormiuit in Domino.

Eodem die certamen sancti martyris Marini senis, qui sub Diocletiano Imperatore, & Præside Lysia ex urbe Anazarbo, Christi fidem professus, iubente Lysia flagris cæditur: in carcere concluditur, ad interrogatio-

nem

nen. postero die ductus, cū sacrificare recusaret, in ligno
suspensus laniatur; postremo superatis omnibus tormē-
tis obruncatur, cuius corpus canibus & feris proiectum
Xanthias & Sapritius collectum sepelierūt extra urbem
Anazarbum, in agro Randano, in laudem & gloriam Pa-
tris, filij, & Spiritus sancti, Amen.

Eodem die commemoratio sancti Myronis Episcopi
Crete, cognomento Thaumaturgi. hic natus in Aurace
vrbe Cretenſi propè Cnoſſum, diuina pietate ornatus,
præcipuè verò misericordia, atq; in pauperes charitate
inſignis, ordinatusq; Presbyter in ſacta Dei Ecclesia, po-
ſtea verò & Episcopus conſtitutus, multis miraculis edi-
tis annum propè centesimum agens, migravit ad Domi-
num.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Theo-
dori Præpositi Oroborum, qui à pueritia crucem Domi-
ni tollens in montibus & speluncis ac vallibus solitariam
vitam duxit. itaque vt unguentum preciosum atque in-
censum Domino in odorem suauitatis oblatum, in pace
quieuit.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum E-
leutherij, & Leonidis, qui propter fidem Christi igne cō-
summati sunt.

Eodem die sanctorum decem Monachorum qui ex
Ægypto ad eremum secedentes in pace quieuerunt

Eodem die certamen sancti Apostoli Matthiæ, qui
vnus ex septuaginta connumeratus est cū duodecim A-
postolis pro Iuda Ischariothæ, prædicauit autem Euange-
lium in Æthiopia, vbi multis pro Christi fide superatis
tormentis, spiritum Deo tradidit.

Die IX.

Natal: beatorū X. martyru, qui propter sanctam imagi-
nē saluatoris nostri Iesu Chr: in aurea porta cōstitutā mar-
tyrium

tyrium passi sunt, quorū nomina hæc sunt, Iulianus, Martianus, Ioannes, Iacobus, Alexius, Demetrius, Photius, Petrus, Leontius, & Maria Patricia. omnes hi sub Leone Imperatore Impio pro defensione sanctarum Imaginum, multas ærumnas perpeffi, & varijs tormentis superatis, postremo gladio percussi, martyrio coronati sunt.

Eodem die Natalis sancti martyris Antonij Alexandrini, qui propter Christi confessionem in fornacem ignis iniectus, spiritum Deo commendans coronatus est martyrij corona.

Eodem die Inuentio venerabilis, & non manu factæ Imaginis, conscriptæ à sancto patre nostro Gregorio Episcopo Nysseno, cuius intercessionibus Deus misereatur nostri.

Die X.

Sanctorum martyrum, Laurentij Archidiaconi, Sixti, qui fidem Christi professi in vrbe Roma sub Decio Imperatore martyrium passi sunt.

Die XI.

Sancti martyris Eupli, qui sub Diocletiano Imperatore ex Catana vrbe prouinciæ Siciliæ accusatus apud præsidem Caluisianum, quod Christi fidem coleret, manibus & pedibus ad genua vinctis suspensus in ligno recto, ferreis manibus laceratus, postea malleis ferreis eius crura contusa sunt, & in carcere constitutus, sola oratione, fontem aquæ in carcere scaturire fecit, postremo percussus gladio quieuit in domino.

Eodem die dies festus Encæniorum perpulchri, & venerabilis, & diuini templi sanctissimæ dominæ nostræ genitricis Dei miserantis Mariæ.

Eodem die narratio de non manu facta imagine domini nostri Iesu Christi, temporibꝰ Tyberij Imperatoris.

Die

Die XII.

Natalis sanctorum martyrum Photij & Aniceti, qui sub Diocletiano Imperatore apud Nicomediam Christum confessi, multos, & varios cruciatus pertulerunt.

Eodem die Sancti martyres Pamphilus & Capito, martyrium pro Christo passi sunt.

Die XIII.

Commemoratio sancti Patris nostri Maximi confessoris, qui sub Imperatore Constantino Pogonato, summus Philosophus, vita & sermone illustris, relictis omnibus factus est monachus, qui cum vidisset Monothelitarum heresim augeri, Zelo diuino commotus, Romam profectus est, sanctissimum Papam Martinum hortatus, vt localem synodum congregaret, & Monothelitarum heresim Anathemate damnaret. hic & libros aduersus illam ipsam edidit. Discedens autem Roma cum duobus Anastasij discipulis suis, redijt Constantinopolim, vbi ad reddendas rationes vocatus à senatu, qui cum Imperatoris heresi sentiebat: cum veritatis assertionem illos argueret, à consensu rapitur, & in custodia includitur, postea in Thraciam ablegatur, ad hæc manus, & lingua abscissa est, alijq; cruciatibus superatis plenus dierum requieuit in Domino, & depositus in monasterio sancti Arsenij.

Eodem die Commemoratio Beate Regine conditricis venerabilis monasterij omnipotentis Saluatoris nostri Christi Irenes, quæ post susceptum sanctum, & Angelicum habitum appellata est Irene monacha.

Die XIIIII.

Certamen sacrosancti martyris Marcelli Episcopi Apameæ Syriæ. Hic sub Theodosio magno Imperatore, ex Insula Cypromundani magistratus regimen disponens

ita se gessit, ut omnes in admiratione sui excitaret, postea factus est Pontifex Apamiae Syriae, quam urbem cum idolorum superstitioni addictam vidisset, illam destruere aggressus est: Sed cum Iouis impuri templum illic esset, quod plurimis machinis vti subvertere non poterant, demone quodam impediente, quo minus templum destrueretur, beatus Marcellus aquam accipiens, & sanctificans asperxit lignorum congeriem, & statim ignis accensus, templum illud Idolis addictum combussit. Quare gentiles in furorem concitati sanctum virum comprehensum in igne consummarunt.

Eod. die commemoratio sancti prophetae Michae.

Eodem die commemoratio sancti martyris Vrsitij, qui sub Maximiano Imperatore ex urbe Sibento, urbe existente supra Illyricos, delatus apud Imperatorem, traditus est Praesidi; cumque in confessione stabili constanter permaneret, nervis bouum verberatur; postea lineis funibus, oleo perfusus, inuolutus sulfure & resina conspersus succensus est; Postremo lata sententia, sanctus Vrsitius a Valente delatore, stricto gladio interfectus est. Itaque martyrio functus, a fidei quadam muliere Simplicia sepultura traditus est.

Die XX.

Sacra Dormitio sanctissimae Dei genitricis Mariae.

Die XXI.

Certamen Sancti martyris Diomedis, ex Tarso Ciliciae ortus claris parentibus, qui Diocletiano Imperatore relicta Tarso, venit Niczam Bithyniae, ubi propter Christianae fidei professionem accusatus est, cumque Imperatoris iussu quidam ad eum comprehendendum accessissent, mortuum inuenerunt, cuius caput abscissum, ad Imperatorem attulerunt, quod cum vidisset, iussit reportari, &

& apponi corpori quod vbi factum est, statim milites ipsi, qui illud fecerāt, eandem in oculis ipsius energiam inspexerunt, quam antea in abscindēdo eius capite inspexerant.

Eodem die Natalis beati Cheremonis in pace quiescentis. Item sancti Rabulæ qui obdormiuit in pace. Item sanctorum triginta trium martyrum, qui ex Palæstina igne consummati sunt.

Eodem die commemoratio formæ non manu factæ Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi ex vrbe Edesa ingressæ in hanc à Deo seruata, & regiam urbem reportatæ.

Die XVII.

Certamen sancti martyris Myronis, hic fuit sub Decio Imperatore, Præsule Achaia Antipatro, Presbyter Ecclesiæ, moribus & genere insignis. cum verò in festo die natali Iesu Christi Domini Antipater in Ecclesiam ipsam ad Christianos comprehendendos ingressus esset, sanctus Myro Zelo Dei commotus contumelia illum affecit. quare suspensus, flagris cæsus est, & in ardentem caminum iniectus est, fornax verò virum illum factum incolumem seruauit, sed flamma ignis exiliens combussit centum quinquaginta homines circumstantes. nihilominus tamen cum sanctus ille denuo cogereretur Idolis immolare, nec vilo modo id facere vellet, loris ab humeris ad pedes usque cæsus est; postea laniatis carnibus, feris proiectus ab illis ipsis ereptus est: quod cum vidisset Antipater rubore perfusus proprijs manibus seipsum interfecit, sanctus verò Myron in urbem Cyzicum ductus à Proconsule sententia lata, ceruicem gladio supponens, pro Christi confessione martyrio coronatus est.

Eod. die commemoratio iuuentutis benignitatis, quam Deus ipse ostēdit in propulsādis impijs Agarenis, intercessionem sanctissimæ dñæ nostræ genitricis virginis Mariæ.

Eo-

Eodem die certamen sanctorum martyrum Pauli & Iulianæ sororis & Stratonici in Ptolemaide qui sub Aureliano Imp: apud Ptolemaidem propter Christianæ fidei confessionem (erant enim non fide minus quam carnis coniunctione fratres) carcere, verberibus, igne, veneno, & alijs multis, & varijs tormentis superatis pro Christiana confessione mortem cum vita commutarunt.

Die XVIII.

Natalis sanctorum martyrum Flori & Lauri. Hi viri sancti erant fratres Gemelli, cæsores lapidum, quam artem didicerant à Proclo & Maximo; postea vero quam eorum magistri pro Christo martyrium perpassi sunt, relicto Byzantio venerunt in Illyricam regionem, in urbem Vlpianorum, vbi apud Lycionem Præsidem metalla perscrutantes propriam artem nobiliter exercebant, postremo multos passi cruciatus à Lycione Præsidi in profundum puteum deiecti Deo ipsi animas suas commendarunt.

Eodem die sancta pauperum multitudo, quæ Idolis contractis igne consummata est.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Hermæ, Serapionis, & Polyæni, qui fuerunt ex vrbe Roma, & Delati quod Christum colerent, Idola verò execrarentur, Præsidi Romæ oblatis & Christum ipsum libere confessi, primum in tenebricoso & graue olèti carcere conclusi, atque illinc educti, & idolis immolare non passi, per angustissima difficilia & petrosa loca pertracti interea Deo ipsi animas commendarunt.

Eodem die certamen sanctarum martyrum Iulianæ, & Leonis qui passus est apud mare prope Myram urbem Lyciæ.

Die XIX.

Natalis sanctorum martyrum Andreae, ducis exercitus, &

& sociorum duorum millium quingentorum nonaginta trium, qui Maximiani Persecutoris temporibus, delati apud Antiochum Ducem exercitus quod essent Christiani, perseverantes in Christi confessione ense percussi sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Timothei, Agapij, Teclæ, q. apud Gazam sub Urbano Præside Christianam fidem professi, verberibus, & alijs tormentorum generibus, ferarum dentibus expositi martyrij palmam acceperunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Eutyriani militis & Strategij qui pro Christianæ fidei confessione ignem pertulerunt.

Die XX.

Eodem die commemoratio sancti Prophete Samuelis.

Eodem die commemoratio sanctorum triginta septem martyrum apud Byziam urbem Thraciæ passorum qui partim ex Byzantio, partim ex Philippopoli detenti apud Byziam Thraciæ à Præside Apelliano & varijs exquisitis tormentis examinati, cum Christum ipsum liberè profiterentur, postremo in caminum ardentem, manibus & pedibus mutilatis, deiectioni sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Severi & Memnonis Centurionis, qui pro Christi fide verberibus & loris à capite vsq; ad pedes cæsi, in ligno suspensi, atq; in fornacem abscissis pedibus iniecti spiritum Deo commendantes martyrij coronam acceperunt.

Eodem die commemoratio sanctæ martyris Photinæ extra portam Blachernorum.

Eodem die Natalis sancti martyris Lucij senatoris. Hic fuit ex vrbe Cyrenæ Libyæ primus inter senatores, qui cum antea Idolorum superstizioso errori addictus esset, videns

videns sacrosanctum martyrem Theodorum eius urbis Episcopum, fortiter atq; immobiliter martyrij coronam consequutum, à Christi Domini gratia compunctus, diuinum Baptisma suscepit, & Digniano Præsidi persuasit, vt Christum crederet, quem secum in Cyprum duxit, vbi cum Christianos homines comprehendi & interfici vidisset, latens Dignianum, tortoribus seipsum tradidit & Tyranno ipso iubente, capite obruncatus est.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Heliodori & Dosai.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Pauli iunioris Archiepiscopi Constantinopolitani.

Die XXI.

Natalis B. Apostoli Thaddæi qui Lebeus dictus est. Et sanctæ martyris Bassæ. S. Apostolus Thaddæus ex vrbe Edessa, Hebræus genere, diuinis literis eruditus, ascendit Hierosolymam in diebus Ioannis Baptistæ, cuius prædicationem audiens, & eius Angelicam vitam admiratus, ab eo baptizatus est. Postea Christum videns, & eius ipsius infinita miracula cœlestemq; doctrinam audiens, secutus est eum: post cuius in cœlum ascensionem, reuersus in patriam Abagarum Regem baptizauit, eiusque lepræ quod reliquum fuerat, curauit; cumq; multos alios docuisset, & fide illustrasset, Ecclesijs ædificatis, pertransit vrbes Lyciæ, cumque Berytum ciuitatem Phœniciæ venisset, & illic multos ad Christi fidem conuersos baptizasset, requieuit in Domino. Sancta verò martyr Bassa sub Maximiano Imperatore apud vrbem Edessam accusata quod esset Christiana, ducta est ad Proconsulem Vicarium

Vicarium cum tribus filijs, Theognio, Agapio & Fideli, quorum Theognius primus ex filijs suspensus laceratur, adhortante illum matre ad certamen atque obsecrante, ductus est & secundus Agapius nomine, & flagellis cæsus, cumque pellis capitis vsque ad pectus detracta esset, lætanti animo & voce, nihil ita suaue sibi videri affirmabat, quàm pro Christo pati. post hos ductus est tertius, qui fidelis appellabatur, qui Christi fidem confessus, & varijs tormentis probatus, sententiam vnà cum fratribus accepit. Itaque statim capitibus obruncati sunt. Bassa vero illorum mater educta è carcere iussa est sequi Vicarium Præsidentem Macedoniam proficiscentem; vbi cum Idolis immolare omninò reculasset, in ignem iniicitur ac lapidatur, cumque illæsa ex omnibus euasisset, ducta est ad templum Idolorum, & Iouis simulachrum in terram deiectum confregit atque comminuit. Ad hæc feris traditur, & in mare quasi stadijs triginta à continente distans proiecta est; quo tempore apparuit è longinquo in throno decoro sedens, cumq; illa tres viri sole fulgētiores, qui visi sunt illam simul cum throno ipso in nauigio ponere; postque dies octo apparuit in Halone Insula Helleponti; quod cum Macedonia Proconsul Philippo quodam nunciante cognouisset, scripsit ad Consularium Cyzici Hellepontiæ Prouinciæ, vt illam detineret, & si Idolis sacrificia offerre nolentem inuenisset, iussit manibus post terga reuinctis eius membra confringi, & sic caput abscindi; quo factò, spiritum in manus Dei commendauit.

Eodem die commemoratio sanctæ Theoclitæ miraculorū effectricis, Hęc fuit sub Theophilo Christo osore, ab infan-

infantia deo gratis moribus educata diuinorum eloquiorum meditatione & multarum eleemosynarum in pauperes distributione, & opere quotidiano laborans, vt necessitatibus pauperum ministraret. hæc & diem obitus sui prædixit. Quot vero & quanta fuerint per eam edita miracula, difficile admodum foret breui sermone comprehendere.

Die XXII.

Commemoratio sancti martyris Agathonici & sociorum Zotici, Theoprepij, Acindyni & Seueriani. Sanctus Christi martyr Agathonicus temporibus Maximiani comprehensus est à Comite Eutolmio. qui ex vrbe Nicomedia ab Imperatore in Ponticam Regionem ad eandem Christianorum missus, cum inuenisset sanctum Zoticum cum discipulis Christum prædicantem, crucis morte condemnauit; deinde reuersus Nicomediam, audiens quod Princeps per quendam Agathonicum auertentem Græcos ab Idolis, & ad Christum conuertentem crediderat, missis militibus utrumque comprehendit, & sanctum quidem Agathonicum vehementer cædi iussit, Principem vero cum alijs Christianis deuinctis vna cum Agathonico in Thraciam duci, vbi erat Imperator, vt apud ipsum fieret eorum inquisitio; vbi vero ad eam * regionem venit, quæ fluuij nomine appellatur, sanctum Zenonem, Theoprepium & Acindynum catapultis interfecit. Cumque esset prope Chalcedonem, interfecit sanctum Seuerianum libere Christum prædicantem: Byzantij vero sanctus Agathonicus cum reliquis vinctis & ipso Principe ductus extra urbem verberatus vehementer, cumque peruensset Lilybæum vbi Maximianus Imperator versabatur, capite obtruncatus est cum Principe & alijs Christianis, quos

† Menza
magna: εν
Χορτω λεγο-
μενω ποτα-
μου.

ex Nicomedia Comes adduxerat; quibus cum sanctus Agathonicus martyr corona decoratus est.

Eodem die natalis beatæ martyris Anthusæ & Athanasij Episcopi qui eam baptizauit, & Charissimi, & Neophyti seruorum. Hæc fuit sub Valeriano Imperatore ex vrbe Seleucia, parentibus diuitibus, sed idolorum cultoribus, cum verò cuperet Christi baptismum & Athanasium Episcopum in Tarso Ciliciæ verbum Dei prædicantem videre, persuasit matri, vt iugum mulorum præberet, quasi ad nutricem se ire velle affirmās; sumpris autem Charissimo & Neophyto, viam ingressa est, cui episcopus Athanasius ab Angelo sublatu præsens adstitit, quem vidēs & discens quisnam esset, ad eius pedes procidens, supplex petijt, vt sancto baptisate illam signaret; cumq; deesset aqua, orauit Episcopus, & statim è terra fons aquæ scaturiit, ac duo Angeli in specie militum apparuerunt, albas vestes illi prætendentes. Baptizata est igitur ipsa, & duo famuli cum illa, quæ multam & auro contextam Episcopo ipsi vestem dedit, eamq; pauperibus dari petijt, ipsa vero modesto, & humili habitu induta ad nutricem accessit, quæ illam videns, repulit, vilem & abiectam vestem & Christi fidem exprobrans: postea vero quam ad matrem reuerfa est, vt illam vidit tristem, clam abiens ad Athanasium Episcopum recurrens, monasticam vitam subiit. Aspera itaque veste induta & cruce suscepta in eremo tribus & viginti annis cum feris conuersans, & ab ipsis nutrita, multis dæmonum tentationib; superatis in pace Deo ipsi spiritum commendauit, componens se ipsam in petra in qua dormire consueuerat. Post hæc sanctus Athanasius Episcopus detentus, & ductus ad Imperatorē Valerianum multis verberibus cæsus ense percussus, martyrij gloriam consequutus est, sancti vero Carissimi & Neophytus Eunuchi

B. Anthusæ, qui cum ea ab Athanasio Episcopo baptizati fuerant, post obitum dominæ suæ, & martyrium sancti Episcopi, adierunt Valerianum, & se Christianos esse confitentes, ferreis vinculis constricti, missi sunt ad Ducem Apellianum, quo audiente, Christum professi, suspensi, usque ad tres horas, toto corpore laniati sunt, demum obtruncati, migrarunt ad Dominum.

Eodem die sancti martyres Irenæus, Orus, & Oropis, gladio post ignem, post feras, post suspendia, case percussis martyrij palmam acceperunt.

Die XXIII.

Natalis sancti martyris Luppi, qui cum antea esset servus, martyrij dignitate, quam gladio percussus, assecutus est, libertate donatus, Christi amicus effectus est.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Irenæi Episcopi Sirmij. Hic cum esset Diocletiani Imperatoris temporibus Episcopus Sirmij, detentus, ductus est in Pannoniam, & oblatus Probo Præsidi, cum Christum ipsum verum Deum esse confiteretur ac prædicaret, in carcerem injicitur, atq; illine educus, flagris cæditur; postea gladio percutitur, & in fluvium Saum demergitur, & sic eius martyrium consummatur.

Eodem die Natalis sacrosancti martyris Irenæi Episcopi Lugdunensis, qui temporibus Marci Antonini, cum esset in Gallia Episcopus, Lugduni libros plurimos Ecclesiæ reliquit, fidem nostram confirmans, post Photinum Lugdunensis civitatis Episcopum pro Christo passum, eiusdem Ecclesiæ gubernacula suscipiens, multos prædicationibus ab Idolorum errore abreptos, & Christi martyres adduxit, postremo & ipse à persecutoribus gladio consummatus coronatur.

Die

Die XXIIII.

Commemoratio sancti martyris Tationis, qui cum esset ex oppido Mantineo sub Claudiopoli Metropoli provinciae Onodiadis, comprehensus à gentilibus, eo quod Christum coleret, astitit in eadē vrbe Urbano Præsidi. Confessus autē se Christianū esse, verberatur, & ferro cæsus, cum ad portā ciuitatis venisset, vocē audiēs, bona, quæ illi reposita erant nunciantē, Dño spiritum cōmendauit.

Eodem die Commemoratio S. Patris nostri Georgij Limniotæ. Hic à puero in finibus montis Olympij, vitam monachi exercens, sub Leone Imp. sacras imagines frangente, & sanctorum hominum reliquias comburente, liberè pietatē prædicans, atq; impietatem Tyranni redarguens, in summa senectute (annum enim agebat nonagesimum quintum) multiplices cruciatus perpeffus, postremo abscissis naribus, & combusto capite, gratias agens Deo ipsi spiritum commendauit.

Die XXV.

Relatio sanctarum reliquiarum S. Apostoli Bartholomæi. Item S. Titi Episcopi Gortynæ vrbis Crete, discipuli S. Apostoli Pauli. Hic beatus Titus annos 20. natus, venit ex Creta Hierosolymam, & vsq; ad D. nostri Iesu Christi ascensionem, expleto anno vno decē alios annos illic permanens, ordinatus est Apostolus, prædicauit Euāgelium annos 10, & 3. apud Cretam, & reliquas insulas, * annos 6. * in patria verò ex his 94. annorum colligitur numerus.

Eod. die Comemoratio S. Patrum Epiphaniij, Menæ, Gennadij, & Ioannis Archiepiscopi Constantinop. Beatus Menas temporibus Iustiniani Imperatoris Presbyter fuit sancte Ecclesie Constantinopolitanæ. postea factus est Archiepiscopus eiusdē vrbis ab Agapito Romano Pontifice, quo tempore Constant. venit, qui Anthimum hæreticum

reticum ex Trapezunte in Constantinopolim ab hæreticis translatum deponens, beatum Menam ordinavit, bene igitur Ecclesiam regens, & gregem augens, migravit ad Dominum. Vna cum sancto Mena, & sanctorum patrum qui supradicti sunt, dies festi celebrantur quorum intercessionibus adiuuemur.

Die XXVI.

Commemoratio sanctorum martyrum Hadriani, Natalia & Sociorum. Martyr Hadrianus & Natalia eius vxor, fuerunt ex vrbe Nicomedia: in secunda vero persecutione Maximiani comprehensi sunt Christiani homines, numero viginti tres, qui latuerant in speluncis. cum igitur plurimis tormentis subiecti essent, interrogati quare intolerabiles illos cruciatus sustinerent, responderunt, se illos libenti animo ferre, vt bona lucrifacerent à Deo his parata, qui pro eo patiuntur. Statim beatus Hadrianus hæc audiens, à diuina gratia compunctus, Notarijs dixit, vt eius quoque nomen cum Christianis scriberent. Libenter enim cum illis, inquit, commoriar & ego. Itaque cum Notarij scripserint & ferreis vinculis eum astrinxissent, vt hæc cognouit Natalia coniux existimans ob aliam causam comprehensum fuisse, pulcram vestem induta, ingressa est ad carcerem: vbi causam carceris edocta, vincula viro sancto imposta suauiter deosculabatur, eumque beatum prædicabat, & hortabatur, vt ad perferenda tormenta immobilis permaneret, eosque sanctos viros, qui cum ipso erant precabatur, vt pro illo orarent. Denique pro Christi confessione multis & varijs cruciatibus superatis Hadrianus & socij, mortem oppetere, quam sine Christo viuere maluerunt, quorum sancta corpora Eusebius quidam vir fidelis in ciuitatem Argyropolim perlata prope Byzantium reposuit, quo & Natalia vxor Hadriani ve-

ni veniens, postea spiritum Deo reddidit, & prope sanctas martyris reliquias sepulta est.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum, qui vna cum sancto Adriano propter Christi confessionem martyrio coronati sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Aguci, Sisinij & sancti patris nostri Iulianonis.

Eodem die Natalis alterius Hadriani martyris. Hic fuit sub Licinio in ciuitate Byzatio filius Probi Imperatoris cum alio fratre Domitio, qui post Titum fuit Archiepiscopus Byzantij. beatus igitur Adrianus cupiens pro Christo mortem pati veniens Nicomedia exprobrauit Licinio, quod temere Romanos exercitus vastaret preteritu Christianae persecutionis. quare diuersis modis cruciatus, capite obtruncatus est, cuius frater Domitius Episcopus sanctas reliquias collectas in Argyropoli deposuit, vbi erant Adriani, & Nataliae condita reliquia, cum Strachi Apostolo.

Eodem die Natalis Tithoe in pace quiescentis.

Die XXVII.

Commemoratio sancti patris nostri Poemenis. Hic fuit genere Aegyptius, qui secedens cum fratribus effectus est monachus. Hic beatus Anachoreta tam egregie omnem virtutem exercuit, ut omnes in Aegypto & Thebaide senes Patrem hunc appellarent, & ad recte viuendi formam directi componerentur. obiit autem in aetate prouecta plenus dierum.

Eodem die commemoratio sanctae martyris Euthalae. Haec fuit in Sicilia, matrem habens gentilem, sanguinis fluxu laborantem, quae curata est a sanctis martyribus Alpheo, Philadelpho, & Quirino. Credens itaque in Christum baptizata est cum Euthalia filia; cum vero haberet filium nomine Sermilianum, detenta est, ab illo ut suffigeret, eo quod in Christum credidisset, illa vero ab ancilla extracta est manibus

nibus filij au fugit; cuius rei causa commota Euthalia ex-
 ecrabilem illū pro matre conuicians audiuit à fratre ipso,
 Nunquid & tu Christiana es? Maximè, inquit sancta illa
 virgo, & pro Christo ipso libenter moriar: quod audiēs
 prophanus ille denudatam vehementer verberauit, & vni
 famulorum violandam tradidit, illa verò Deum precata,
 excæcauit famulum, quod cum vidisset scelestus Semy-
 lianus caput abscidit.

Eodem die Natalis S. *Æthiops* Eunuchi à beato Phi-
 lippo Diacono baptizati.

Eodem die Natalis beatæ Anthusæ iunioris, quæ aspe-
 ra & lacera veste induta atq; in puteum pro Christi con-
 fessione deiecta consummata est.

Di. XXVIII.

Commemoratio sancti patris nostri Mosis *Æthiops*,
 qui fuit genere *Æthiops*, colore niger admodū, peruer-
 sis moribus, & latrocinio insignis: sed aliquando comput-
 tus monasterio seipsum tradidit, & ita pœnitentiam ex-
 ercuit, vt etiam latrocinij socios ad Christum cōuerterit.
 Cū vero aliquando sederet in cella, latrones quidam
 in illum irruerūt, nescientes esse Mosē, quos beatus ille
 funiculo tanquam sacculum paleæ plenum ligās, ad tem-
 plum afferens dixit fratribus, Quando non licet mihi in-
 iuriam inferre, & hos deprehendi, quid iubetis me face-
 re istis? Illi vero cū eum agnouissent, quod esset Mo-
 ses celeberrimus ille, atq; inexpugnabilis latronum prin-
 ceptus, confessi & ipsi peccata sua abrenunciarunt mundo,
 & facti sunt monachi probatissimi. Vitam igitur Deo
 gratam ducens sanctus Senex, debellato intemperantiæ
 Damone, obiit annos natus septuaginta quinque; presbyter
 effectus septuaginta discipulos relinquens.

Eodem

Eodem die Natalis sancti Ezechiae Regis in pace quiescentis.

Eodem die Natalis sanctae Annae filiae Phanuelis.

Die XIX.

Decollatio pretiosi capitis sancti Prophetae Praecursoris Ioannis Baptistae apud urbem Hierosolymorum.

Die XXX.

Sanctorum Patriarcharum Alexandri, Ioannis & Pauli iunioris.

Eodem die Natalis sancti miraculorum effectoris Fantini. Hic genus ducens ex regione Calabrorum, Georgij & Bryenae filius ab infantia Deo consecratus, monasterio traditus est, in quo virtutem omnem exercens, & Dei praecipua custodiens, diuinis reuelationibus dignus efficitur: ita continens, ut dies viginti ieiunus transigeret, quin etiam quatuordecim annis nudus vixit, innumera- biles calamitates, ex Saracenorum incuribus pertulit. In his annos sexaginta durans, Vitalem & Nicephorum discipulos assumens adijt Peloponnesum & apud Corinthum multo tempore diuersatus, plurimis salutem conciliauit; Athenas profectus sanctum Dei genitricis Mariae templum adorauit. Larissam venit, ad sancti Achillei sepulchrum assidens. Thessalonicam se conferens magni martyris Demetrii miraculis fruitur totos octo annos consuetum canonem abstinentiae exercens, in senectute bona vitam hanc terrestrem dissoluit.

Die XXXI.

Commemoratio preciosae Zonae sanctissimae Dei parentis Mariae, repositae in venerabili eius aede, cum Zona ipsa relata est ab Episcopatu Zelae sub Iustiniano Imperatore, & factum miraculum per impositionem preciosae Zonae super Reginam Zoem coniugem Leonis Imperatoris.

¶ 2

SEPTEM.

MENSIS SEPTEBRIS

Die primo.

COMMEMORATIO Sancti Patris nostri Simeonis Stylitæ, qui fuit sub Imperatore Leone Magno & Martyrio Antiochenæ urbis pontifice, à prouincia Ciliciæ ex castello Selsan, qui monasticam vitam ingressus in columnam ascendit, in qua quadraginta septem años stetit, & multis per eum editis miraculis in pace quieuit.

Eodem die Commemoratio sanctæ Marthæ matris beati Simeonis Stylitæ, & sanctæ Euanthiæ, & Dormitio Iesu Naue.

Eodem die Natalis sanctarum quadraginta mulierum martyrum, virginum & monialium. Et Ammun Diaconarum magistri. Hæ fuerunt ex Adrianopoli Macedonia, quæ Christum secutæ sunt, habentes magistrum Diaconum Ammun, detentæ verò à Rabdo Adrianopolis Principe, & plurimum cruciatæ, quod dæmonijs non immolarent, precatæ sunt Deum, vt eas conseruaret. Itaque suspensus est in aëre sacerdos Idolorum, & per multas horas cruciatus cadens in terram interijt. suspensus est autem sanctus Ammun, & laniatis lateribus, cassidem ignitam in capite accepit, ex qua liberatus missus est cum virginibus à Beroe Heraclæam Thraciæ ad Licinium Tyrannum; ille vero sententiã tulit, vt decem in igne deijcerentur, octo verò cû magistro suo obruncarentur: & aliæ quidem decem ense in ore & corde accepto interfectæ sunt; sex verò gladijs concisæ, & reliquæ sex gladios ignitos accipientes abierunt ad Dominum.

Die

Die 11.

Sanctorum martyrum, & germanorum fratrum Eo-
di, Callistæ, & Hermogenis. Hi sancti martyres germani
fratres tanquam ex vno ventre geniti, per diuinum laua-
rum spiritali modo renati sunt, diuinæ prædicationis
tempore. Christiani verò effecti apud Principem delati
sunt, quorum generosus, & fortis animus apparuit, cum
imperterriti mortem pro Christo sustinuerunt. Itaque
martyrij cursu exacto, migrarunt ad Dominum.

Eodem die Natalis sancti martyris Mamantis, qui fuit
ex Gangra vrbe Paphlagonum Christianis parentibus
ortus, quibus pro Christi fide detentis & in carcere con-
clusis natus est, cum adhuc illi essent in vinculis, quibus
mortuus susceptus puer à Christiana quadam muliere
Ammia nomine. cum verò esset natus annos quindecim,
comprehensus vt Christianus virgis cæditur, & plumbo
alligato collo in mare proijcitur, sed diuina ope è pericu-
lo liberatus in spelunca quadam latens nutriebatur cer-
uarum lacte. sed iterum detectus iniectus est in caminum,
& feris expositus, postremo tridente ferreo visceribus di-
laniatis ex præsentis vita ad cœlestem translatus est.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Pauli iunioris
Archiepiscopi Constantinopolitani. Item sancti Diome-
dis gladio percussus. Et sancti Iuliani, cuius caput ligno
contractum est, nec nõ sancti Philippi ense percussus, Item
sancti Eutyriani ignis flamma consummati.

Eodem die Natalis beati Hesyhij, qui ex Christi con-
fessione necatus est. Item sancti Leonidis igne incensi,
sancti Eutyrii crucifixi, sancti Philadelphi, qui saxo alli-
gato collo, relicto carnis onere leuis ascendit in cœlum.
Item sancti Menalippi igne consummati, & sanctæ
Parthagapæ, quæ in mare deiecta martyrij coronam as-
secuta ex huius mundi fluctibus erecta in cœlũ translata est.

Die III.

Natalis beati martyris Anthimi Episcopi Nicomediz, & sancti Patris nostri Theoctisti, qui fuit exercitationis socius magni Euthymij. sanctus Anthimus Præsidente Maximiano comprehensus, & interrogatus Christum libere prædicans & tormenta omnia sibi proposita contemnens, verberibus, igne, & multis varijsq; cruciatibus superatis, postremo obrûcatus, martyr Christi efficitur.

Eodem die Commemoratio sancti Zenonis, qui in leberem plumbo feruenti plenum iniectus Dei amore feruens ad Christum Dominum, pro cuius confessione passus fuerat, translatus est.

Eodem die Natalis sanctæ Basilissæ, quæ Alexandro in vrbe Nicomedia Præsidente feris obiecta, & alia tormenta perpeffa, martyrio coronata est.

Eodem die Natalis beati Aristionis Episcopi Alexandria, qui in igne probatus migravit in cælum. Item sancti Charitonis, qui in foueam ardentis ignis plenam iniectus, martyrio donatus est.

Die IIII.

Natalis sacrosancti martyris Babylæ Episcopi Antiocheni, & sanctorum trium, qui vna cum illo, gladio consummati sunt. Beatus Babyla cum Imperatorem Numerianum ab Ecclesia expulisset, propterea quod Persarum Regis filium quem obsidem habebat interfecerat, ferreis vinculis adstrictus, ac circumductus vnâ cum tribus illis pueris capite obruncatus est.

Eodem die Sanctus Babylas in Antiochena vrbe magister, vna cum octoginta quatuor pueris, quos docebat, obruncatus est.

Eod. die Natalis sanctorum martyrum Theothimi, & Theoduli, qui pro Christi cõfessione, igne combusti sunt.

Eodem

Eodem die Natalis sancti Prophetæ Moyſis in pace quiescentis. Item sanctæ Hermiones, quæ fuit vna ex quatuor filiabus Philippi, qui Cádaces Regine Eunucho baptizauit. Hæc sancta Hermione sub Traiano Imperatore pro Christiana confessione forti & constanti animo perferens tormenta, multis editis miraculis, migravit ad Dominum.

Eodem die sanctorum martyrum Centerionis, Oceani, Theodori, Ammiani & Iuliani, qui fuerunt ex oppido Candaule. Hi omnes cum Christum confiterentur, post multos cruciatus iussu Maximiani in lauacrum iniecti sunt, atque illinc à diuino Angelo erepti, abscissis securi pedibus, in ignem coniecti consummati sunt.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Petronij, Charitinæ, Zarbeli, Thatuelis, & Beuæ qui sub Adriano Imperatore pro Christo sanguinem fuderunt, ex quibus Thatuel cum esset Dæmoniæ fallaciæ sacerdos, ab Episcopo quodam Christiano ad Christi fidem conuersus est, quam obrem ab Augaro regionis illius Duce, virgis ceditur, oculis comburitur, & manibus post tergaligatis in ventre verberatur, ex altera manu suspensus laniatur, postea * retonico instrumento à capitis vertice sectus cum Beuæa sorore gladio consummatur.

* Μεναια:
ἐν ὀργάνῳ
πεκτονικῷ
βαλθιῆς.

Eodem die Commemoratio sanctorum trium millium sexcentorum viginti octo martyrum, qui in montibus & speluncis Nicomediæ latentes comprehensi à Maximiano Præsidente plurimis tormentis traditi pro Christiani nominis confessione, mortem latenti animo subierunt.

Die V.

Natalis sancti Prophetæ Zachariæ patris beati Præcursoris Ioannis Baptistæ.

Eodem

Eodem die Natalis Abdæi qui spinosis virgis cæsus Christum Dominum spinis coronatum sequutus est.

Eodem die Natalis beati martyris Rhaidis quæ igne consummata est. Item S. Sabili à carnificibus lapidati.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Urbani, Theodori, Medimni, & Sociorum octuaginta Sacerdotum, & Leuitarum, qui sub peruersæ mentis Imperatore Valente ab Ecclesia expulsi, atque infinita mala perpessi, postremo in nauigium cõiecti, incenso nauigio combusti migrarunt ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti Petri, qui fuit in Athero & sancti martyris Audij Episcopi tempore Indigerdi regis Persarum. Hic sanctissimus Audius detentus à primario Persarum Mago, cum Soli sacrificare renueret, toto corpore virgis cæditur, ita vt à carnificibus, quasi mortuus reportatus, paulò post spiritum Domino tradiderit.

Die VI.

Commemoratio miraculi ostensi à Principe militiæ ecclestis Michaële in vrbe Colossensium, quæ postea dicta est Chone.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Eudoxij, Zenonis, Romuli, Macarij, & reliquorum. Sæctus Romulus capite obruncatus est à Traiano Imperatore, qui Christianos plurimos in diuersas regiones exules misit, & in Christianæ fidei confessione permanētes mortis supplicio subiecit. Eudoxius verò Comes sub Diocletiano detentus à Præside Melitinæ obruncatus est, cumq; eo milites numero mille centū & quatuor. paucis post diebus B. Zeno cum reliquis sancti Eudoxij socijs, martyrij coronam accepit.

Eodem die sanctus Medimnus iniectus in nauigium, cumq;

cumq; illo demersus in mari martyrio consummatus est.
 Eodem die Natalis sanctorum Fausti, Macarij, Andree, Abibi Diaconi & Monachi, Dionysij lectoris, Cyriaci Acoluthi, sancti Fausti, Andronici militis, Theoctisti naucleri & sanctarum mulierum Andropelagie & Teclæ. sub Decio Imperatore, Præside Valerio apud Alexandriam propter Christiani nominis confessionem obrutati, sanctas animas Deo commendantes in cælum migrarunt.

Di. VII.

Commemoratio sancti martyris Sozontis. Hic ex Lycaonia conuersus ad Christi fidem, ingressus in templum Idolorum, in quo erat statua ex auro & argento confecta, dexteram manum Idoli cuiusdam abscissam vendidit, eiusq; pretium pauperibus distribuit, ob idque comprehensus à Maximo Præside Ciliciæ Christianam fidem confessus, calceis acutos clauos infixos habentibus indutus currere cogebatur, Dei gloriã celebrans; postea suspensus in arbore & verberatus tradidit Deo spiritum.

Eodem die commemoratio sanctorum Euodij & Onesiphori.

Eodem die Natalis sancti Stephani Romani Pontificis, sub Valeriano & Galieno Imperatoribus martyrium pro Christo passi.

Eodem die celebratur Dormitio venerabilis Lucæ qui fuit ex Prouincia Lycaonia tertius Præpositus Monasterij, quod *Profundi Ryacis nomine appellatur.

Eodem die Natalis beati martyris Euppsychij ex Cæsarea Cappadociæ, qui sub Adriano Imperatore comprehensus à Saprício Præside Cappadociæ venditis prius facultatibus omnibus, cum partem quandam accusatoribus dedisset, quippe quod per eos regnum cælorum ei

Menæa magna:
 Καθέστυα-
 nos.

cōciliatum esset, quod reliquum fuerat, dispersit parpe-
ribus; quapropter à Saprutio iudice cum cogeretur Idolis
immolare, idque recusaret, laniatus est, postea percussus,
sanctam animam Christo domino commendavit.

Die VIII.

Natiuitas sanctissimę dñę nostrę Dei Genitricis & sem-
per virginis Marię. *Die IX.*

Sanctorum Ioachimi & Annę parentum beatissimę
virginis.

Eodem die certamen sanctorum Rufi & Rufiani, qui
cum essent germani fratres, pro Christianę fidei con-
fessione gladio percussi sunt. idem passus est & sanctus
Seuerus.

Eod. die sanctus Artemidorus igne consummatus est.

Eod. die certamen sancti martyris Seueriani, qui ex vr-
be Sebastia ex ordine senatorio sub Licinio Imperatore
militans, Christianam fidem professus, & alios milites ad
martyrium pro Christo subeundum hortans detētus est,
& ad tribunal Lysię iudicis adductus libera voce Christi
nomen confessus Idolorum errorem redarguebat. Qua-
mobrem suspensus, vehementer neruis cęditur, ac lania-
tur, postremò pedibus saxo alligatis, aliaq; varia tormen-
ta perpeffus gratias agens Deo animam tradidit.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Theo-
phanis, qui Imperatoris Diocletiani temporibus vitam
monachi exercuit.

Eodem die Natalis B. Charitonis ense consummati.

Eodem die Natalis B. martyris Stratonis, qui in duo-
bus cedris ligatus, & in duas partes sectus pro Christi cõ-
fessione cum cęlestibus coniunctus est.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Ammia-
ni Theodori, & Iuliani, qui per ignem probati, in cœlum
assumpti sunt.

Die

Die X.

Natalis S. martyrum Menodoæ, Metrodoræ, & Nymphodore, quæ sub Maximiano Imperatore cū essent germanæ sorores, detentæ à Frontone Præside interrogatæ & Iesu Christi Saluatoris nostri nomen liberè confessæ, & acerbos cruciatus constanter perpessæ animas Christo Domino commendarunt.

Eodem die Natalis sancti martyris Barypsaba. Hic cū accepisset ab Eremita quodã pio ac religioso preciosum Christi sanguinè qui effluxit è latere domi Dei Iesu Christi Saluatoris nostri, plurimos per illum ipsum sanabat. Itaq; ab infidelibus nocte dolo interficitur, Theaurus autem ille remāsit apud quēdam eius discipulū seruatus.

Eodem die commemoratio sanctæ Pulcheriæ Reginæ, in pace quiescentis. Hæc fuit soror Theodosij iunioris, dicta coniunx Martiani pietate præstantis Imperatoris, quæ cum virginitatem ipsam ad senectutem vsque seruasset, multaq; præclara opera, in Templorum & Hospitalium ædificio contulisset, & sancti Chalcedonensis Concilij patres adiuuisset, in pace requieuit.

Eod. die comemoratio SS. Apellis, Lucæ, & Clemētis,

Eod. die certamen SS. martyrum Diodori & Didymi, qui ex vrbe Syriæ Laodiceæ cū Christianam fidem prædicarent, accusati apud Laodiceæ Præsidem interrogati, & se Christianos esse confessi ab iniquo iudice condemnati in tormentis mortalis vitæ finem acceperunt, ad extremum vsque spiritum gratias Deo agentes.

Eod. die apud Persidem sanctæ martyris IÆ, quæ cum esset ex castro nomine Zalæ, captiua cum nouem millibus Christianorum à Persarum Rege Sapore ducta est, quæ propter Christiani nominis confessionem carcerem, vincula & verbera sustinens sub Styratio Præside martyrium assecuta est.

q 2

Die

Die XI.

Commemoratio sanctæ matris nostræ Theodoræ Alexandrinæ sub Imperatore Zenone.

Eodem die Natalis beati patris nostri Euphrosyni. Item sanctorum martyrum Diodori, Diomedis, & Didymi ex Laodicæa Syriæ, qui comprehensi à Præsidi & liberè Christi fidem prædicantes, flagris cæsi vitæ finem acceperunt.

Die XII.

Sancti martyræ Autonomi. Hic sub Diocletiano Imperatore derelinquens Italiam, venit Bithyniam, ubi cū multos ad Christi fidem conuerteret, ab Idolorum ministris interfectus, lignis & lapidibus obrutus martyrio coronatus est.

Eodem die Natalis sacrosancti martyræ Curnuti, qui fuit Episcopus Iconij Christianus, homo religiosus, & timens Deum, canus capite, & mente. Commora verò aduersus Christianos persecutione detentus, & Perennio Præsidi oblatus, capitis abscissione martyrium consequutus est.

Natalis sacrosancti martyræ Theodori Episcopi Alexandriæ, quem Alexandrini homines comprehendentes, propterea quod Christum ipsum libera voce prædicaret, furore accensi spinis coronatum in maxilla percussum, & per urbem circumductum in profundum mare demerserunt, ex quo diuina prouidentia seruatus est, & Præsidis iussu obruncatus est à fidelibus ac religiosus viris in eadem Alexandrinorum ciuitate sepultus.

Eodem die Natalis beati martyræ Iuliani ex Galatia. Hic fuit sub Diocletiano in vrbe Galatarum natus & educatus, qui cum apud Præsidem delatus esset, q̄ in spelunca quadam lateret cum alijs quadraginta Christum colens, detentus

detentus atque interrogatus Christianam fidem professus est. Itaque in ferreum lectum igne accensum iniectus ab Antonio Præsidente, idolis immolare omnino recusans, Christi martyrio coronatus est.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Macedonij, Tatiani, & Theoduli, qui sub Iuliano Apostata tormentis cruciati, propterea quod dijs gentilium sacrificia offerre nollent, in ignis rogam coniecti, Præsidentem Amachium affati, Si cupis, inquit, ô iudex, assas hominum carnes gustare, verba & manduca, & vide num semiuisti tibi videamur? atque his dictis, gratias agentes Deo animas tradiderunt.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum, Hieronidis, Leontij, Serapionis, Seleuci, Valeriani, & Stratonis, qui Imperatore Maximiano, apud Alexandriam detenti, cum Idolis nollent immolare in mare proiecti presentis vitæ finem acceperunt.

Die XIII.

Commemoratio sancti Cornelij Centurionis, qui in Christum credens à beato Petro Apostolo baptizatus est, de quo beatus Lucas Euangelista in actibus Apostolorum scripsit.

Die XIIIII.

Exaltatio pretiosæ & viuificæ Crucis sub Imperatore Constantino Magno, vt historiarum monumenta testantur.

Eodem die Dormitio sancti Patris nostri Ioannis cognomento Chrysoptomi Patriarchæ Constantinopolitani, eius autem celebritas propter diem festum exaltationis, commemoratio translata est in tertium decimum diem mensis Nouembris.

Die XV.

Commemoratio sancti Martyris Nicetæ, qui sub Im-

perio Constantini Magni natus atque educatus in regione Gothorum ultra Danubium non communicabat cum Barbaris, sed cum viris piis Deum colentibus, edoctus Christi fidem à sanctissimo Episcopo Gothorum Theophilo, comprehensus ab Athanasio Principe propter Christianæ fidei confessionem, & multis tormentis cruciatus, igne consumptus consummatus est.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Philothei presbyteri miraculorum effectoris. hic ex regione Myrmica, à puero Deum colens, vacans ieiunijs, vigilijs, orationibus & eleemosynis in luctu & planctu diem transigens, cogitans supplicia, tormenta & gehennam ignis, & vermem illum, qui nunquam sopietur, innocenter Deo ipsi seruebat, cumq; sua doctrina multos adiuuaret, accepit charismata miraculorum. Itaq; fugabat Dæmones & curabat ægrotos, & mundabat leprosos, atq; hæc edendo miracula, in sanctæ vitæ instituto quieuit in pace.

Eodem die Natalis B. Porphyrij ex mimis à Iuliano Apostata iussus in natali ipsius die obrectare & irridere Christianorum facta, cum in aquam descendens immergeret exclamavit, Baptizatur Porphyrius, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sic emergens albas vestes indutus, & se libera voce Christum esse professus, ense obtruncatus coronam martyrij consequutus est.

Eodem die, Inuentio sanctarum reliquiarum beati Arcadij Episcopi Melitinæ. Sancti martyris Maximi ense consummati. Commemoratio duarum puellarum gladio interfectarum. Commemoratio nec non inuentio reliquiarum sancti Protomartyris Stephani.

Die XVI.

Sanctæ Magnæ martyris & celeberrimæ Euphemiæ.
Hæc

Hæc sub Diocletiano Imperatore propter Christianæ fidei confessionem detenta, cum igne & rotis aliorumque tormentis & machinis luctata, esca leonibus proposita est, atque ex his omnibus Christi gratia incolumis liberata, in ipso theatro Deo ipsi animam tradidit.

Eodem die Certamen sanctorum martyrum Maximi, Theodoti, & Asclepiodoti, qui sub Maximiano Imperatore impio Christi prædicationem docentes, multosque ab Idolorum errore, & vana superstitione ad sanctam Christi fidem ac religionem conuertentes comprehensi à Tyride Thraciæ Duce virgis primum cæsi, postea manibus, pedibus, & auribus mutilatis, cum cogerentur ab eodem apud Adrianopolim Idolis sacrificare, idque facere nollent, sed in confessione permanentes Tyranno dicerent, Nos Deum alium non habemus nisi Christum Filium D E I, qui fecit cælum, & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, obruncati, animas Deo commendarunt.

Eodem die, Natalis beati martyris Martini Romani Pontificis. hic fuit temporibus Constantini Pogonati Imperatoris hæretici, quo tempore erat Constantinopolitanæ vrbs Patriarcha Paulus, & ipse Monothelitarum hæresi corruptus; quam hæresim cum beatus Pontifex conuocata synodo Romæ damnasset, Imperator misit quosdam, qui beatum Martinum duxerunt Constantinopolim, eumque multas ærumnas perpessum, in carcere cõclusum & verberatum, postremo in urbem Chersonam exulem misit, vbi sanctam & beatam animam Deo commendauit.

Eodem die Cõmemoratio sanctæ martyris Sebastianæ.
San-

sancta & gloriosa Christi martyr Sebastiana sub Domitiano Imperatore ex Sebaste vrbe Phrygiæ, quæ cum esset temporibus Apostolorum, Christi fidem edocta est ab Apostolo Paulo, comprehensa vero apud Marcianopolim à Sergio Præside, cum Idolis immolare nullo modo passa esset, verberata in carcere inclusa est, postea in fornacem iniecta, egressa est incolumis; postea venit Odyssum. Hinc ad urbem Anchialum, postea verò Archadiopolim, hinc Heracliam Thraciæ, vbi detenta est à Pompeiano Præside, in caput suspensa & laniata cum feris pugnans, hoc est leonibus, nihil passa, obruncata est, ex cuius collo exciso effluxit lac pro sanguine, corpus verò in mare proiectum, atque eductum in vrbe Rysisto sepultum est.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris Melitinæ, quæ fuit ex Marcianopoli Thraciæ sub Antonino Imperatore, Christiana, & timens Deum, comprehensa verò ab Antiocho eiusdem vrbis Præside, libera voce confessa est nomen Domini nostri Iesu Christi: quam obrem grauitur verberatur, postea in templum Idolorum ingressa, suis precibus Idola deiecit, atque comminuit, quo viso miraculo plurimi gentiles ad Iesu Christi fidem conuersi sunt, è quorum numero fuit & vxor Præsidis: Beata verò Melitina iterum verberatur, in carcerem iniicitur, & post septem dies nuda suspenditur, laniatur, & rursus in templum Idolorum inducitur, vt illa ipsa coleret; sed confestim Idola corruerunt & contrita sunt, sicque beata martyr obruncata est, cuius venerabiles reliquias Macedo quidam nomine Acatius collectas in insulam Lemnum perlatas religiose admodum sepeliuit.

Die XVII.

Dies natalis sanctarum martyrum *Pistis*, *Elpidis*, *Agapes*,

pes, & Sophiæ matris. Beata martyr Sophia cum Christi fidem diligeret, habens secum tres filias, Pistem, Elpidem & Agapem, venit Romam sub Adriano Imperatore, atque illic cū tribus filiabus ab illius vrbis Episcopo baptizata est, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ Christi fidem prædicans, multos ad Deum conuertit, quapropter & ipsa & filia ab Adriano detentæ & interrogatæ, libere Christi nomen professæ sunt, ob idq; vehementer cruciatæ; & primum sancta Pistis duodecim annos nata, post diuersos cruciatus, capite obruncata est. Post illam sancta Elpis decimum annum agens, ipsa quoque, post plurima tormēta, capitis abscissione migravit ad Dominum. Tertio loco sancta Agape, nouem annos nata, & in caminum ardentem iniecta, & ipsa martyrio consummata est, quas omnes mater Sophia sepelijt, & ad earum sepulchrum assidens post tres dies animam Deo ipsi reddidit.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Agathochiæ seruæ. Sancta martyr Agathochia serua Nicolai cuiusdam Christiani hominis, & Paulinæ vxoris, cū esset Christiana & Deum timeret, quotidie cruciabatur ab hera infideli muliere Idolorum cultrice, quæ Agathochiam octo annis asperis lapidibus verberabat in vertice, eamq; nudis pedibus ambulare cogebat in hyeme, & frigore ad ligna colligenda; per totos octo annos, studens illi persuadere, vt adoraret Idola, quod cum omninò recusaret, laniata est & excisa lingua, & in carcerem coniecta fame affligebatur, postremò iniecto in collum igne præsentem vitam cum æterna commutauit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Chatalampi, Pantoleonis & sociorum.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Luciæ viduæ, & sancti

sancti Gemiani filij & martyris. Hæc sub Maximiano & Diocletiano Imperatoribus in vrbe Roma opibus & genere illustris, annos nata septuaginta quinque, triginta sex, vidua trālegit: accusata apud Diocletianum quod Christianam fidem coleret, grauiter verberata est, postea in æreum leberem pice feruenti plenum ----- exijt incolumis, cumque vrbem circumduceretur, occurrit illi Gemianus qui eam sequens paulo post baptizatus eius filius appellatus est. Postremò Lucia post multos cruciatus martyrio coronata est, Gemianus verò postea capite obtruncatus, in cælum est assumptus.

Eodem die Natalis beatorum martyrum Heraclidis Episcopi Tamasi Cypri, & sanctarum sceminarum Sophiae & Irenæ.

Eodem die Natalis sancti Petri & Nili, qui apud Palæstinam martyrium compleuerunt: commota siquidem aduersus Christianos persecutione ex Ægypto comprehensi sunt Petrus & Nilus Episcopi, & duo celeberrimi Patremateus & Elias, & vna cum illis centum viri, ex Palæstina vero quinquaginta, cumque illi centum persuaderi non possent, vt Christi fidem abnegarent, effossis oculis, & ad metalla traditi, ita beatum finem acceperunt.

Die XVIII.

Eodem die Natalis beati patris nostri Eumenij Episcopi Gortynæ. Et commemoratio sanctarum mulierum Sophiae & Irenæ. Item sanctæ martyris Ariadnæ, quæ sub Adriano Imp. martyrij certamen confecit, propterea quod Idola execraretur, & Christi fidem colens, pro illius confessione sanguinem fudit.

Eodem die commemoratio sacrosancti martyris Simeonis Episcopi Hierosolymorum, qui sub Traiano Imperatore

peratore post Iacobum fratrem Domini Hierosolymorum Episcop. accusatus ab infidelibus, quod Christi fidem prædicaret, anno ætatis centesimo vigesimo cruci affixus beatam animam ad æternas sedes & immortale illud cœleste regnum Domini nostri Iesu Christi transmissit.

Die XIX.

Commemoratio sanctorum martyrum Trophimi, Sabatij & Dorymedotis, qui fuerunt sub Imperatore Probo & Sabatius quidē in vrbe Antiochia iubete Præside Vicario vehementer flagris cæsus in tormentis ipsis spiritum emiit: Trophimus verò ferreis crepidis calceatus exul missus in vrbe Synadarum, multosque cum Dorymedonte cruciatus sustinens, vterque obtruncatus est.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Ianuarij Episcopi Beneuenti & sociorum Sosij & Procli Diaconorum, Faustij, & Desiderij clericorū. Sanctus quidem Ianuarius fuit sub Diocletiano Imperatore, & Timotheo Campanæ regionis Præside Episcopus Beneuenti; quem Præsides in carcere cum socijs inclusum inuenit; eductum vero in caminum ignis iniecit, vnde exijt incolumis, cumq; ad eius conspectum Beneuento duo ipsius clerici venissent, capti sunt & ipsi, & cum sancto Ianuario educti è carcere. Lata sententia gladio sunt obtruncati, tradentes Beatas animas Domino, pro quo mortem subierunt.

Die XX.

Sancti martyris Eustachij Ducis exercitus, & eius coniugis Theopiltæ & filiorum Agapij, & Theopisti. Fuit autem sanctus Eustachius Dux militiæ in vrbe Roma sub Traiano Imperatore; conuersus autem ad Christi fidem

fidem baptizatus est, qui multas ærumnas pertulit, sed paulo post, cum cogeretur Idolis immolare, & ipse Christianæ fidei confessionem rebus omnibus præferret, postremo in æreum bouem igne feruente coniectus, ex terrenis miserijs ad cœlestes diuitias euolauit.

Eodem die Commemoratio sanctorum Patrum & Confessorum Hypatij Episcopi, & Andreae presbyteri. Hi ex Lydorum regione, in Gymnasio quodam pueri docentur, Hypatius quidem monasticam vitã amplexus est, Andreas verò * sacer in Ecclesia Præco extitit: non solum autem ieiunijs, vigilijs, & orationibus præstantes erant, sed etiam humilitate, modestia & charitate alios superabant. Cũ verò eorum virtutes cognouisset, qui apud Ephesum præsidebat, Hypatiũ quidem Episcopũ, Andream verò presbyterum ordinauit: quod cum audisset osor sanctorum, Leo impius Imperator, ad se accersiri iussos in carcere inclusit, & laniari præcepit, & è capite cutem extrahi, & sanctas imagines quam plurimas supra capita eorum accensas susceperunt, & pice barbas illiti per mediam urbem distracti sunt, & partes Xerolopai iugulati, canibus esca expositi sunt.

Eodẽ die Comemoratio S. martyris Christi Susannæ filiae Arthemij sacerdotis Idolorum & Marthæ, quæ genus duxerat à Iudæis. Hæc mortuis parentibus, baptizata est à Siluano presbytero, & Christi fidẽ edocta, postea facultates suas pauperib⁹ distribuit, & mundo relicto Monasterium adijt monacha effecta, licet virili habitu p̄ fœmineo induta se Ioannem vocari fecerit: sed post ab alia quadam muliere accusata, quod in illam per vim egisset virilia, in habitu virili deprehensa est virgo, & inuenta natura mulier, accusatricem redarguit, profecta vero Heliotropolum,

* IERONIMUS.

lim, delata Præsidi Alexandro, quod multis gentilibus persuaderet, ne adorarent Idola, illam apprehensam vehementer cruciauit, & nihilominus tamen eius ipsius miraculis, multi ad Christi fidem conuertebantur, postremo in carcerem iniecta, Deo spiritum tradidit.

Die XXI.

Commemoratio sancti Prophetæ Ionæ, ynius è numero duodecim.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Ionæ Sabaitæ. Hic vir sanctus cum esset presbyter, se contulit ad Monasterium Laurum nomine, sancti Sabæ monasterium, vbi deconsus summam pietatem, & multas virtutes exercens, ad bonam senectutem prouectus migravit ad Dominum.

Eodem die Commemoratio sancti Apostoli Quadrati. Hic cum esset antiquitate, & multarum rerum scientia insignis, Athenis, & in vrbe Magnesia, Doctrinam Domini prædicans, multos dogmatum lumine instructos ad diuinæ cognitionis lucem perduxit. Itaque Athenis à suo grege persecutores illum expulerunt, lapidibus in eum iactis, igne, & alijs tormentis probatum, postea verò ab Ælio Adriano martyrij coronam percepit.

Eodem die, Commemoratio sancti martyris Eusebij. Hic sponte Præsidem Phœnicie adiit, illum arguens quod Christi gregem persequeretur. Itaque ab irato Iudice suspendi, & verberari iussus est; cum verò diu asperis ac laceris pannis indutus, sale verberibus iniecto, in Christiani nominis confessione perstitisset, Præside ipso in horas, plura & maiora magis magisque addendo tormenta, exultabat vir sanctus, perinde ac si in alieno corpore pateretur. Denique iussit Præsides caput abscindi, sicque ascendit in cœlum, Dei gloriam prædicans.

Eodem die Commemoratio sanctorum Patrum & Episcoporum Cypri Meletij & Ilacij. Hi sancti & beati Patres nostri Episcopi Ecclesie Christi, quæ est in insula Cypri, viri pij & timentis Deum, quorum opus assiduum erat docere populum diuina Christi eloquia, & facultates suas indigentibus distribuere, sic agentes per totam vitam, per diuersa tempora, migrarunt ad Dominum.

Eodem die, Commemoratio sancti martyris Prisci, qui cum viuentem aquam in corde gestaret, carnis incendium non pertimelcens, ad cœlestem patriam translatus est.

Eodem die Commemoratio sacrosancti martyris Ilacij Episcopi Cypri.

Eodem die Commemoratio sanctorum sex martyrum satellitum Imperatoris Maximiani.

Die XXII.

Natalis sacrosancti martyris Phocæ. Hic fuit filius Pamphili, in regione Sinopis, statim verò ab infantia, sancti Spiritus gratia adiutus miracula edebat, & vsque ad extremum spiritum edidit, qui diuina voce his verbis admonitus, Poculum tibi temperatum est, illud te oportet bibere. quod nimirum diuina ope adiuuante sub Traiano Imperatore bibit. gladio & igne consummatus, multa quoque post eius ad Dominum migrationem, per eum Deus effecit miracula.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Phocæ hortulani. Et hic fuit ex vrbe Synope antiqua & nobili, cuius opus erat horti cultura, cui vacabat, & eius prouentum omnibus communem proponebat, sed animi cultum

tum plaris faciebat, propterea non diu latuit, sed ut germanus Christi seruus delatus est illius urbis Præsidi, cum igitur venissent Satellites apud illum ipsum, quem quærebant, diuersati sunt, cum benigne acceptos refecisset, quasi uisum essent, & quam de causa illuc accessissent; illi rem omnem ei declarantes, quod scilicet Phocam quærent ad supplicium. hoc audiens Dei seruus scriptum quærentibus manifestum effecit, illi ea re maxime doluerunt, ipse uero ipsos rogabat atque hortabatur, ut auderent facere, quod iussi fuerant. itaque capite obtruncatus, gratum Deo sacrificium oblatum est.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris Drozelæ filiæ Traiani Imperatoris, cum quinque socijs, & sanctorum martyrum Isaac ac Martini.

Die XXIII.

Commemoratio sanctorum martyrum, Andreæ, Iohannis, Petri & Antonij apud Africam passorum.

Eodem die Natalis sanctarum mulierum Xantippæ & Polyxenæ; quæ sub imperio Claudij Cæsaris ex Hispania genus ducentes, Xantippe quidem Paulum Apostolum, apud Hispanos Christi Euangelium prædicantem audiuit, quippe qui viro illius Probo fidei & salutis auctor fuerat, Polyxena uero primum audiuit Apostolum Petrum, postea Apostolum Philippum, postremo Andream Apostolum, qui eam baptizauit in Græcia tunc existentem à viro quodam raptam, sed Dei ope adiuuante, minimè corruptam; reuerfa uero in Hispanias cum virgine quadam, nomine Rebecca, genere Iudæa inuenit Xantippam sororem virtutum splendore fulgentem. itaque multos docentes Christi fidem in pace quieuerunt.

Die

Certamen sanctæ Protomartyris Teclæ, quæ cum esset ex vrbe Iconio, à beato Apostolo Paulo edocta eloquia Dei in domo Onesiphori: erat autem quando ad fidem conuersa est, annos nata decem & octo Thamyridi desponsata, viro admodum nobili ac diuiti; sed virgo sanctissima cõtemptra matre, viro & diuitijs posthabitis, sanctum Apostolum Paulum sequuta est, vsq; ad Antiochiam Pisiidiæ, vbi à Præside Alexandro feris obijcitur, à quib⁹ nihil passa, tauris alligata est, ex quibus erepta, multos ad Christum dominum conuertit: Postremò in patriam reuersa habitauit in monte quodam, vbimultis per eam editis miraculis, annos nonaginta, migravit in cœlum.

Eodem die Natalis sancti patris nostri Coprij viri pietate, abstinentia, humilitate & charitate insignis, qui cum annum ageret nonagesimum, in occulto quodâ loco prolixius orans, visus sibi est, magnum illum Theodosium, post ipsius ad Dominum migrationem vnâ secum orantem, ac psallentem, postremo hæc dicentē. En frater Copri, instat tempus resolutionis tuæ, veni ad nos ad paratum tibi quietis locum, Hæc cum audiisset admirabilis ille Pater, post paucos dies paulum ægrotans, sanctos patris amplexus, in pace migravit ad Dominum.

Die XXV.

Natalis sanctæ matris nostræ Euphrosynæ beati Paphnutij Ægyptij filia.

Eodem die commemoratio beati Paphnutij patris Euphrosynæ.

Eodem die commemoratio magni Terræmotus, in quo celebratur & rapt⁹ pueri in aërem sublatis. Imp. Theodosio magno Terræmotus factus est, talis qualis nūquam antea

antea fuisse commemoratur, quo factum est, ut totus populus vna cū Imperatore, & Patriarcha exierint extra urbem in locū, qui dicitur campus, propterea q̄ sine cessatione aliqua erat illa terræ commotio, cum igitur Imperator ipse Theodosius, Proclus Patriarcha, & totus populus Litanij & supplicationibus diuinam opem implorarent, repēte puerulus quidam, de media turba in aërem raptus est. Omnibus autem præ timore clamantibus Kyricieleison, descendit puer, & voce magna populum hortatus est vt Trifagion, ita Deo, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri quæ cum dixisset, ipse qui dum animam Deo reddidit, & Terræ motus quicuit.

Eodem die Commemoratio sanctorum martyrum Pauli, Tattæ, & filiorum, qui appellabantur Sabinianus, Maximus, Rufus, & Eugenius, ex vrbe Damasco genus ducentes. accusati vero quod essent Christiani, catenis vincti examinati, & Christianam fidem professi, graui-ter verberati sunt, atque iniquorum manibus torti, animas Deo commendarunt.

Die XXVI.

Migratio sancti gloriosi & celebris Apostoli & Euangelistæ Ioannis cognomento Theologi.

Die XXVII.

Natalis beati martyris Callistrati, & sociorū sub Diocletiano Imperatore in vrbe Roma: detentus vero sanctus Callistratus à Perferentino Duce, & Christum Deum verum professus, vehementer cæsus est, postea sacco inclusus, & in mare proiectus, scisso sacco exijt incolumis: qua re visa, quadraginta quinque milites in Christum crediderunt, quos comprehensos ac verberatos Perferentinus in carcerem coniecit, cum sancto Callistrato à quo edocti sunt

funt de iudicio, de resurrectione, & de anima, postea e-
ductus de carcere Callistratus cum illis quadraginta mi-
litibus, precibus ad Deum missis Idola deiecit, quod cum
alij milites centum octuaginta quatuor vidissent ipsi que-
que in Christum credentes obtruncati sunt, cum quibus
& sanctus Marinus vir magnus, & sapiens passus est.

Eod. die Comemoratio S. patris Ignatij Præfeti mo-
nasterij Saluatoris Iesu Christi, quod profundi Ryacis no-
mine appellatur. S. Pater Ignatius fuit ex Cappadocum
Prouincia, Nicephoro, & Ioanne Imperatorib⁹, ab infan-
tia Deo ipsi à parentibus, S. Samuelis exemplo conse-
cratus, qui sanctitate vitæ clarus, post multa pietatis ope-
ra ad cœlestem gloriam vocatus, in pace quicuit.

Eodem die commemoratio sanctorum Apostolorum,
Marci, Aristarchi, & Zenonis. sanctus Marcus, qui & Io-
annes appellatus est, cuius Lucas Apostolus meminit, or-
dinatus Episcopus in Euangelij prædicatione ita proba-
tus & Deo gratus apparuit, vt vel vmbra morbi fugeretur.
Aristarchus etiam ex septuaginta fuisse inuenitur, cuius
Apostolus Paulus meminit; Hic Apameæ Syriæ Episco-
pus fuit, vir egregiæ sanctitatis, alter Ioannes locustis, &
melle siluestri nutritus, Zona pellicea indutus: Zenon
autem hic ille est, de quo mentionem fecit Apostolus Pau-
lus in Epistola quam scripsit ad Romanos; hic fuit Dios-
polis Episcopus, qui cum fuisset habitaculum sancti Spi-
ritus in prædicando Euangelio migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum
Philemonis Episcopi, Fortuniani, & sanctæ martyris
Gainæ.

Eodem die Natalis sanctorum quindecim marty-
rum, qui cum essent nauigio impositi, illo ipso combusto
in mari suffocati sunt.

Eodem

Eodem die commemoratio sanctæ martyris Epicharidis quæ cum esset Romæ, sub Diocletiano Imperatore detenta à Cæsare Præside, & confessa nomen Iesu Christi, suspensa & malleo plumbeo à quatuor militibus verberata, postea à carnifice obruncata, beatam animam Deo tradidit, cuius reliquiæ à Felice Christiano nobili, & senatorij ordinis viro honorificè sepultæ sunt.

Die XXVIII.

Commemoratio sancti patris nostri Charitonis, & confessoris ducis Eremiti. Hic fuit sub Aureliano Imperatore, ex vrbe Iconio; detentus vero à Præside & Christi fidem confessus, à quatuor militibus verberatur, postea in carcerem coniectus, iterum eductus flagris cæsus est. Mortuo autem Aureliano, cessante persecutione sanctus Charito Hierosolymam venit sub Patriarcha sancto Macario; cum verò in itinere incidisset in latrones, in spelunca inclusus, hoc modo liberatus est, serpens enim in vas illud in quo latrones vinum seruabant, irrepens venenum euomuit, quod cum bibissent, expirarunt, quorum facultates beatus ille pauperibus distribuit, & speluncam illam Ecclesiam fecit, monachisq; multis in eam congregatis monasterium constituit, ex petraeducta aqua, omni genere morborum expultrice, & ita in summa senectute migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti Prophetæ Baruch. Item sanctorum martyrum Marci pastoris, Alexandri Alphæi, Zosimi, Niconis, Neonis, Heliodori, & reliquorum puerorum & virginum. Hi S. martyres fuerunt sub Diocletiano Imperatore in vrbe Antiochiæ Pisiæ ex regione Phrygiæ Galaciæ sub Præside Magno, qui cum iussisset venatorib; ut feras inuestigarent, & venationem

afferrent, accedentes ad montem, inuenerunt sanctum Marcum oues pascentem, & vrsam, quam insequabantur, ad eius ipsius pedes procidentem, & vestigia lingen- tem: erat autem sanctus senex canos habens ad pedes vs- que prolixos. Delatus verò à Principe Venatorum Ma- gno, detentus est à triginta militibus, qui ab eo eruditi crediderunt in Christum; ipse verò Præsidi oblatus libe- re nomen Christi confessus, vinculis traditus est, reliqui missi sunt ad Præsidem Niceæ, à quo & obruncati sunt, Sanctum verò Marcum per vrbes trahens Magnus quæsi- uit fabros, qui tormentorum instrumenta corâ sancto il- lo viro componerent; inuenti sunt tres fratres Alpheus, Alexander & Zosimus. cum igitur fabrilis artis periti o- pus aggressi essent, ferrum ipsum vt aqua defluebat, eo- rumq; manus torpescabant; quod cum artifices admira- rentur, & vocem audirent illos hortantem, vt cum beato Marco pro Christi fide certarent, rem non neglexerunt, sed Christianos se esse lætâti voce professi sunt, statim tor- mentis subiecti sunt, & feruens plumbum in eorû ora in- fusum est. B. verò Marcum cum tribus sanctis illis pueris Prætes obruncavit, eiusq; caput in templû Dianæ misit, ac repente Idola ipsa corruentia imminuta sunt: quod mi- raculum videntes tres viri, Nikon, Neon, & Eliodorus in Christum crediderunt. Itaq; & ipsi obruncati sunt cû pue- ris, senib. & virginibus. martyriû vero pertulerunt Alphe^o Alexander, & Zosimus, in vrbe Calyto mensis Septemb. die 28. Marcus verò in Claudiopoli 21. Nikon & eius so- cij Moromilio, tertio decimo die Iulij.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Alexan- dri, & triginta, qui cum eo passi sunt.

Die XXIX.

Commemoratio sancti Patris nostri Cyriaci Anacho- retæ,

retæ, qui fuit sub Theodosio magno Imperatore ex vrbe Corintho, qui annum agens decimum octauum, Hierosolymam veniens à Magno Euthimio monachus effectus multum profecit, eosq; redarguens, qui cum Origene sentiebant, multa diuina Christi virtute edens miracula, in summa senectute ex hac vita decessit.

Eodem die, Commemoratio sanctæ martyris Gudeliæ quæ cum esset Christiana, & in Persarum regione Christum libere prædicaret, multosq; ad Christianam fidem conuerteret, comprehensa à rege Sapore multis tormentis cruciata, cum nollet solem & ignem adorare, postremo detracta capitis pelle, & ligno affixa, B. animam Deo tradidit.

Eodem die, Commemoratio multorum martyrum Dada, Gabela, & Casdoz. sanctus martyr Dadas, Saporis, regis Persarum fuit consanguineus; Gabela verò eius legitimus filius. cum Christiani essent, non solum à Sapore negati, odio habiti, & dignitatibus spoliati sunt, verum etiam cruciatibus multis subiecti, cum sancta Casdoa suspensi, laniati & lateribus combusti, posthæc in carcerem coniecti, multo tempore detenti, atque illinc educti cum cogerentur solem & ignem adorare, idque omnino recusarent, libere Persarum errorem redarguentes, Christumq; ipsum solum verum Deum regem, & rerum omnium creatorem prædicantes obtruncati, ex hac vita ad cœlestem decesserunt.

Die XXX.

Commemoratio sancti Gregorij, Magnæ Armeniæ Episcopi. Hic sub Diocletiano Imperatore, genere Parthus, detentus autem à Tiridate Rege, propterea quod esset Christianus, multos pertulit cruciatus, postea cum cognouisset Tiridates hunc esse filium Anaci, qui eius pa-

trem dolo interfecerat, in urbem Ararat missum vincis manibus & pedibus in profundum lacum feris & serpentibus plenum deiciendum curavit, vbi annos quindecim à muliere vidua nutritus est, eductus autem è lacu à Tiridate quem à delirij morbo liberavit, omnem eius familiam baptizavit, & factus Episcopus totius Armeniæ, constitutus Ecclesijs in pace quiescens, migravit ad Dominum.

Natalis sanctarum virginum martyrum Ripsimæ, Gaianæ, & aliarum triginta duarum mulierum & virginum, quæ passæ sunt 30. die mensis Septembris. Harum cunctarum mulierum Gaiana quidem erat senior, Ripsimia verò iunior, nobilitate & forma insignis, quod cum audisset Tiridates, eius amore captus, misit, & illam detinuit, quam cum ad nefariam libidinem excitaret, Christi virtute factum est, vt quod cupiebat, minimè assequeretur, quare cum ita tristatus esset, vt tanquam mortuus iaceret, fugientem consequuti apprehenderunt, eamq; scissis vestibus, & manibus post terga ligatis, excisa lingua, & effosis oculis trucidarunt, sic beatam animam sancta virgo misit in coelum, cum qua martyrio coronati sunt Christiani 70. mulieres verò triginta duæ, beata verò Gaiana ex toto corpore pelle detracta, & lapidibus contrita, obtruncata est.



MENSIS OCTOBRIS

Die primo.

COMMEMORATIO sancti Apostoli Ananiæ vnus ex 70. Hic cum esset discipulus Apostolorum, ab illis factus

factus est Episcopus Damasci, qui beatum Paulum Apostolum diuina reuelatione admonitus baptizauit. cum igitur multos in vrbe Damasco & Eleutheropoli sanaret, & ad Christi fidem conuerteret, Licinio Præsidi assistens & Christum verum Deum esse professus, aridis neruis cæditur, laniatur, atq; extra urbem eductus iussu Præsidis lapidatus est, & martyrij corona donatus.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Romani, qui fuit ex vrbe Emesena Diaconus sanctæ Ecclesiæ Beriti, venit autem Constantinopolim sub Anastasio Imperatore, vbi in templo sanctissimæ Dei genitricis Mariæ magna cum pietate versatus, vigilijs, orationibus, & alijs Christianæ religionis officijs intentus, migravit ad Domini.

Eod. die Natalis beati martyris Domnini, hic fuit ex vrbe Thessalonica, qui ductus Nicomediam, vt Christum abnegaret, id omnino recusans, & Christum cum omni libertate confessus, verberatus, missus est ad Mesopotamiæ Præsidem crudelem admodum atque immanem: sed facta irruptione Persarum captiuus ductus est in regionem Persidem, vbi multos ad Christi fidem conuertens innotuit, & detentus atque cruciatus, in tormentis ipsis animam reddidit.

Eodem die Certamen alterius sancti Domnini, qui fuit ex vrbe Thessalonica, religiosus, & timens Deum, qui cum tam religiose viueret, eius fama peruenit ad aures Imperatoris Maximiani. Itaque detentus, vt Christianus adductus est ad tribunal, cui dixit Imperator, Quare me in vrbe Præsidente audes Deum aliū confiteri? sed immola Dijs, si vis posthac viuere. Hoc cū ille renueret, ei corpus lacerari præcepit, vt autē vidit se à viro illo sancto irrideri iussit

iussit ante portam vrbis ductum, eius crura confringi, & pedes sancti martyris abscindi, cumque dies septem tormenta pertulisset, cibi omninò expers gratias agens Deo beatam animam commendauit.

Die II.

Natalis sanctorum martyrum Cypriani ac Iustinae, apud urbem Antiochiam.

Eodem die Natalis sancti patris nostri Theophili, qui fuit monachus religiosus, & timens Deum, sub Leone Isaurico, cuius impietatem videns, atque execrabile odium in venerabiles Sanctorum imagines euertendas, eius haeresim in faciem exprobrans, redarguit, impium, nefarium & Antichristi praecursorem & Christi desertorem appellans, aliaque similia obijciens. Quibus ad iram concitatus primum verberari cum iussit, & in carcerem conijci, inde postmodum eductus, sanctas imagines abnegare cogitur. Quod omninò renuens, in exilium missus, illic vitam praesentem reliquit.

Die III.

Certamen sancti patris Dionysij Arcopagite Episcopi Athenarum.

Eodem die Natalis sancti martyris Dionysij, & sociorum octo. Hic sub Valeriano & Galieno Imperatoribus adductus ad Praesidem Aemilianum persequens in Christiana confessione exilio condemnatur, proscribitur, & lapidatur, plura passus tormenta, quam olim in Libya sub Decio sustinuerat. Conclusus igitur in loco squalido cum Fausto, Gaio, Petro & Paulo, qui vna cum illo duodecim annos tolerauerant, consummatus est in confessione Christi Domini.

Eodem die commemoratio sancti martyris Theogenis

genis qui pro Christi confessione ignis flammam pertulit. Item sancti martyris Theotegni & Audacti enle percussi.

Eodem die Commemoratio sancti patris nostri Iohannis Chozebita Episcopi Caesarea.

Die IV.

Natalis sancti patris nostri Hierothei, qui fuit, vnus è numero Arcopagitarum, qui ab Apostolo Paulo instructus, magnum illum Dionysium Arcopagitam Christi fidem instruxit. Cum autem benè & religiosè vixisset, migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti martyris Petri Capitolij. Hic cum sapientia multis præstaret, legitimo matrimonio copulatus cum tres filios genuisset, monasticam vitam subiit; Presbyter verò creatus ab Episcopo Bostrensi, tanquam Christianorum magister accusatus est apud Agarenorum Principem. Itaq; propter Christi confessionem ad Damascenorum regionem ductus, lingua ei exciditur: Sed cū apertius, & velocius loqueretur, dextera manu & pedibus truncatur, postea effossis oculis cruci affigitur, atq; abscisso capite in ignem traditus, in flumen demersus est.

Eodem die Natalis S. martyris Domninae & filiarum Berinae & Prodoxæ. Hæ S. mulieres diuino Zelo vulneratae, relicta domo, & consanguineis, ad alienam regionem transmigratae, venerunt Edessam; cumq; ibi versarentur, repente abiterunt vir & pater, milites secum ducetes, vt prædam illam caperent. Comprehensæ verò ductæ sunt Hierapolim, vbi latentes milites, conuiuio, & ebrietati vacantes, breui facta oratione in fluuium præterfluentem se ipsas proiecerunt, & ita per aquæ suffocationem martyrio coronatæ sunt.

Eodem die commemoratio S. patris Ammonis Aegyptij.

Hic

Hic cum esset Ægyptius genere, parentibus orbarus, à patre coactus vxorem duxit, sub Maximiano Imperatore, vixit autem cum illa annos decem & octo quam non vt vxorē, sed vt sororem habebat, quin etiam illi persuasit, vt virginitatem seruaret. Itaq; & ipsa, & omnibus rebus derelictis, in montem Nitriæ propè Ægypti desertum secessit, vna tantum veste nocte & die corpus tegens. Produxit autem vitam vsque ad magni Antonij tempora, sub Magno Constantino celebri, & primo Christianorū Imperatore. Huius viri sanctitatem admiratus est beatus Antonius præsertim propter miracula quæ per ipsum plurima Dei benignitas effecit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Faustij, Gaij, Eusebij & Chæremonis Diaconorum. Hi fuerūt discipuli Magni Dionysij, & Diaconi Domini nostri Iesu Christi, & Gaius quidem, & Faustus cum magistro exules facti, & multa tormenta perpesti, martyrij finem acceperunt: Eusebius verò & Chæremon post magistri exilium sanctos, qui erant in carceribus visitantes, & martyrum reliquias sepelientes vsq; ad Decij tempora peruenerunt, multas perferentes tentationes propter Christi confessionem, cuius causa detenti obruncati sunt.

Die V.

Natalis sanctæ martyris Charitine, quæ fuit sub Diocletiano Imperatore, & Dionysio Comite, Claudij cuiusdam serua, de qua cum Comes Domitius audisset, scripsit ad eius dominum, vt ad se illam mitteret inquirendam vt Christianam. Quare tristatus eius dominus, & sacco indurus, illam deslebat, vt cito morituram, quem serua ipsa consolans dicebat, Domine, ne tristeris, sed gaude, siquidem pro meis, & tuis delictis victima à Deo accepta reputabor. Illo verò dicente, Memento mei apud cœlestem Regem

Regem, missa est ad Comitem, ad quem perducta, & Christum confessa, raso capite, super arduos carbones strata est, postea saxo graui alligata proiecta est in mare, ex quo egressa, apparuit Comiti, à quo multis alijs tormentis cruciata, post unguium, manuum & pedum abscissionem Deo spiritum commendauit.

Eod. die Natalis sanctæ martyris Mamelchthæ. Hæc ex Perside regione cum esset sacerdos Templi Dianæ, & haberet sororē Christianam, in somnis vidit Angelum Dei Christianorum mysteria sibi ostendentem. Itaq; exurgens timore correpta rem ipsam sorori narrauit, quæ ad Episcopum illam duxit, & in Baptismate, ac regenerationis lauacro propria soror illam suscepit. Quare infanientes Gentiles lapidibus illam interfecerunt adhuc sancti Baptismatis indumenta ferentem, atq; in profundissimum lacum deiecerunt, ex quo vix Christiani efferre potuerunt.

Eodem die Visio terribilis, atq; vtilis Cosmæ monachæ ostensa.

Die VI.

Natalis sancti gloriosi Apostoli Thomæ. Hic cum Medis, Parthis, Persis & Indis Dei verbū prædicasset, in custodiam iniicitur à Rege Smidæo, propterea quod eius opera crediderant, & baptizati fuerant, Vazanes filius, & vxor nomine Tertia & Migdonia & Narce. quapropter quinque militibus traditur, qui ad montem quendam ductum vulnerarunt.

Eodem die Natalis sancti patris nostri Nicetæ Patrij ex Paphlagonia, qui sanctarum imaginum confessione multas ærumnas, & calamitates constanter pertulit.

Eodem die sanctæ virginis Erotidis, quæ Christi amore accensa ignis flammam contempsit.

Die VII.

Natalis sanctorum martyr. Sergij, & Bacchi. Hi fuerunt sub Maximiano Imperatore, Sergius quidem Primicerius Scholæ Gentilium, Bacchus verò secundicerius, ab initio Christianam fidem edocti, accusati quod essent Christiani cum cogerentur Dijs sacrificare, neque id facere velent, priuati sunt zonis militarib⁹, & monilib⁹, induitque vestibus muliebribus per Urbem contumeliosè circumducti, ad Antiochum missi sunt in urbem Eufratissam, iam verò cum propè essent, Angelica apparitione à Deo corroborati sunt, & Bacchus quidem primo loco cruditer per horam cæsus, in ipsis tormentis efflauit animam, post illum Sergius variè cruciatus, capite obruncatus est.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Iuliani presbyteri, & Cæsarij Diaconi sub Claudio Imperatore in vrbe Roma. fuit autem B. Cæsarius ex regione Africana, qui cum Taracinam venisset, videns execrabilia sacrificia, exspuit in illa, & pedibus conculcauit. Quare, detentus tribus diebus ieiunus in carcere custoditus, traditus est Præsidi: vincis autem manibus trahèbatur à militibus ante currum Præsidis vsque ad templum Apollinis, quo ingrediēte martyre acque orante, templum ipsum funditus corruit, opprimens Pontificem Idolorum, & alios plurimos. quod cum vidisset Leontius Proconsul, prociēdens ad pedes sancti martyris in Christum credens, coram omnibus baptizatus est, ad quem venit Presbyter Iulianus eumque immaculati Sacramenti participem fecit, qua de causa Lexorius princeps Iulianum presbyterum, & Cæsarium Diaconum sacco inelutos, in mare iussit demergi, quorum corpora Deo gubernante è mari extracta, Eusebius Presbyter & Felix diuina reuelatione admoniti

niti exceperunt, quos baptizati Leontij filius, eo quod sanctorum Iuliani & Felicis reliquias prope urbem sepelissent, obruncauit, & in fluuium deiecit, quorum sancta corpora Quartus presbyter ex vrbe Capua diuini Angeli ductu ueniens, suscepit, & loco insigni sepeliuit in laudem & gloriam Patris, Filij, & Spiritus sancti.

Eodem die, Commemoratio sancti martyris Polychronij uiri sanctitate & miraculorum operatione insignis. Hic in Synodo Niceæ celebrata, ex lectore Diaconus & Presbyter ordinatus est, postea uero quam magnus Constantinus excessit, statim hæresis Arij multos perturbare cœpit. Itaque peruersæ opinionis homines cum inuenissent sanctum Polychronium altari assistentem, repente in eum insipientes, gladijs iugularunt, & mystico ac diuino sanguini martyris sanguinem commiscuerunt.

Die VIII.

Natalis beatæ matris nostræ Pelagiæ, quæ fuit sub Diocletiano Imperatore ex vrbe Tarso Ciliciæ.

Eodem die, Commemoratio sanctæ alterius Pelagiæ, ex Antiochia Syriæ sub Numeriano Imperatore orchestris & spectaculis deditæ. Itaque ex meretricio quæstus diuitias multas collegerat, sed à Nonno Episcopo viro sanctissimo instructa, & vehementer compuncta baptizata est, omniaque abiecit, arbitrata ut stercorea, vestemque asperam induta sub virili habitu latens, adiit montem Oliuarum, ubi in cella quadam inclusa reliquam vitam Deo gratam agens in pace quieuit.

Eodem die Sanctæ Pelagiæ virginis, Natalis beatæ alterius Pelagiæ; fuit quidem hæc ex Syriæ ciuitate Antiochiæ genere illustris & claris parentibus, sed Christianæ fidei confessione clarior, quod cum Præses didicisset, mi-

fit milites, qui eam detinerent. cū igitur qui missi fuerant, eius domum, circumdedissent, vt illam caperent, hoc audiens sancta mulier, rogauit, vt paulisper expectarent, quoad induta descenderet, acquieuerunt illi credentes facturam quod promiserat. stans illa ad Orientem spectans, quemadmodum orare consueuerat, extensis manibus, & oculis erectis in cœlum, Deum ipsum precata est, ne ipsam traderet militibus, sed priusquam detenta esset, intacta ad Deum descenderet. cum hæc dixisset, honesta in veste induta, spiritum Christo Domino tradidit, quod audiens miratus est *Præses*.

Eodem die, Natalis sanctæ *Thaisæ*, quæ fuerat meretrix, hæc ab adolescentia fuit à propria matre deprauata. Itaque officinam Diaboli se constituit, sed à viro sancto *Paphnutio* capta est. conuersa igitur & pœnitentia scelerum compuncta, & omnia sua quadringentarum pretio æstimata, pauperibus distribuit, & se ipsam in cella quadam inclusit, vbi lachrymis & gemitibus ex profundo corde emissis clamabat, Qui plasmasti me miserere mei. In hac exercitatione annos tres transegit, vnde egressa iussu Abbatis post quindecim dies excessit.

Eodem die Natalis sancti martyris *Artemonis*, qui fuit sub *Diocletiano* Imperatore *Presbyter* *Ecclesiæ* *Laodicensæ*, propter Christi nominis confessionem detentus, & in flammam ignis coniectus, martyrij coronam adeptus est.

Die IX.

Commemoratio sanctorum *Andronici* & *Athanasæ* coniugis, fuit autem *Andronicus* ex vrbe magna *Antiochia*, qui relictis opibus, vnà cum coniuge venit *Hierusalem*, vbi cum sancta loca veneratus esset, pietatis
opera

opera exercens, post plurimos labores, ieiunia, vigiliis, & sanctorum locorum visitationes, post admirabilem beatissimæ Athanasæ dormitionem, ipse quoque obdormiuit in Domino.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris *Publiæ*, sancta *Publia* Imperatore impio & Apostata *Iuliano* in vrbe *Antiochia*, probitate morum celeberrima, viti sui consuetudine paucos annos vsa peperit fructum Deo dignum, admirabilem illum *Ioannem* cognomento *Chryso stomum*. cum autem præesset choro virginum, & cum illum benignum Deum collaudans, in matutino tempore illos *Psalmi* versus magna voce caneret, Simulachra gentium argentum & aurum opera manuum hominum; similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, forte transijt *Iulianus*, qui hæc audiens, tristatus est, iussitque silere. *Poplia* verò ipsum contemnens, maiore voce psallere cœpit. quare iratus Imperator *Popliam* extrahi iussit, eiusque venerandam senectutem non est reueritus, sed cuidam ex satellitibus præcepit, vt eam in os cæderet. extracta igitur tam grauitè verberata est, vt ea plaga defluente sanguine terra ipsa cruentata sit: illa verò Apostatæ impietatem redarguens, eo reuersa, vnde abstracta fuerat, in pace quiescens non multo postea migravit ad Dominum.

Eodem die, Sancti Patris nostri *Petri*, qui fuit sub Imperatore *Theophilo*, ex *Galatarum* prouincia. Item sancti Patris nostri *Dorothei* Episcopi *Tyri*, *Diocletiano* & *Licinio* Imperatoribus, qui apud regionem *Thraciæ* detentus, à *Iuliani* Principibus multos cruciatus perpeffus, centum & septem annos natus in tormentis propter **CHRISTI** confessionem beatam animam **DEO** reddidit,

Eodem

Eodem die commemoratio iusti Abraham, & eius Nepotis Loth.

Die X.

Natalis sanctorum martyrum *Eulampij* & *Eulampie*, qui sub Maximiano Imperatore apud Nicomediam Præsidente Maximo pro Christianæ fidei confessione passi sunt, cum enim multi laterent in monte, miserunt sanctum *Eulampium*, ut in vrbe panes emerent. Hic cum Imperatoris decretum propositum vidisset, & illud legeret, detentus est ab Idolorum ministris, & interrogatus se Christianum esse confessus est, atque in templum Idolorum, ut sacrificaturus indueretur, iussit Martem procubere, & statim procubuit, & contritus est; cum vero ille esset in cruciatibus, *Eulampia* soror in medium prodies, precata est sanctum *Eulampium*, ut oraret pro ipsa, & martyrij consortem haberet. cum igitur in lebetem feruentem iniecti, nihil passi essent, crediderunt viri ducenti, & vna cum illis obrucati sunt.

Eodem die Natalis ducentorum sanctorum martyrum, qui cum sancto *Eulampio*, & *Eulampia* martyrium pertulerunt.

Eodem die Natalis sancti patris nostri *Bassiani*, qui ex regione *Syriæ* sub Imperatore religiosissimo *Martiano* venit *Constantinopolim* virtutibus & miraculis ita excellens, ut Imperator ipse sub eius nomine templum construxerit, habuit autem discipulos circiter trecentos ex quibus fuit & sancta *Matrona*, cum vero ita vixisset, & multos ad Deum conuertisset, morbos curans, & plurimam edens miracula in summa senectute migravit ad *Dominum*.

In Apographo
m. f. erat ad-
scriptum:
Hæc Matrona
fuit Macedo-
niana.

Eodem die Natalis beati patris nostri *Theophili* confessoris ex regione tribus stadijs distante à *Tyberiopoli*.
Hic

Hic à puero sacris literis operam dederit, agens vero tertium decimum annū, ad sanctissimum Stephanum se cōtulit, à quo monasticæ vitæ ordinem, & exercitationem didicit, in qua tantum profecit vt pro sanctarum imaginum cultu à Leone Isaurico earum persecutore multa tormenta pertulerit, dolens autē quod martyrij cursum non compleuisset, dimissus redijt ad monasterium, læticiam adferens non mediocrem fratribus, amicis, & consanguineis; breui autem tempore transacto, beatus vir ille, suam à terrenis ad cœlestia prouidens migrationem, benè disponens de monasterio, omnibus instructis, & benedictis, ad eum, quem tantopere optauerat Dominum migravit, cui gloria in sæcula sæculorum.

Die XI.

Natalis sancti Apostoli Philippi, vnus ex septem Diaconis. & sancti patris nostri Theophanis confessoris Metropolitæ Niceæ. Fuit beatus Philippus, ex vrbe Cæsarea Palæstinæ. Hunc diuinus Lucas Euangelistam fuisse in actibus Apostolorum commemorat, qui & quatuor filias ex coniugio suscepit, vnus ex septem Diaconis, docuit autem Samariam, Simonem Magum baptizauit, ab Angelo raptus Eunuchum instructū Baptismo tinxit, postea in Azotum ab Angelo abductus, hanc quoque urbem prædicatione illuminauit, posthæc in Asiæ urbem Trallensem peruenit, in qua edens plurima miracula edificata Ecclesia ad Dominum migravit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Zenaidis & Philonillæ germanarum sororum. Hæ sanctæ mulieres fuerunt ex Tarso Ciliciæ, consanguineæ Pauli Apostoli. quæ relictis omnibus venerunt ad urbem Demetriadem & in quandam speluncam ingressæ vitam degebant. Illic beata Zenais omnem morbum & languorem curās,

v

abijt

abijt ad Dominum, Philonilla verò diuturnis ieiunijs & vigilijs se ipsam tradens plurima faciebat miracula, & naturæ ordini seruiens à breui ad æternam vitam migravit.

Eodem die commemoratio sanctorum Patrum, qui secundo in urbem Nicæam conuenerunt in Synodo oecumenica quæ septima dicitur, habita sub Adriano Romano Pontifice regnante Constantino Imperatore & Irene matre, Tharasio Archiepiscopo Cōstantino politano Politiano Alexandria, Theodoreto Antiochia, & Elia Hierosolymorum, fuerunt autem sancti patres illi numero trecenti sexaginta septem, qui conuenerunt aduersus sanctarum imaginum oppugnatores, qui omnem hæresim & eorum autores anathemate damnarunt, decernentes vt quicumq; sanctas imagines nō colit, alienus sit ab orthodoxa fide. His & alijs constitutionibus firmatis in suam quisq; Ecclesiam redierunt, quorum intercessionibus Deus misereatur nostri.

Die XII.

Certamen sanctorum martyrum Probi, Tharachi & Andronici, qui sub Diocletiano Imperatore Pompeiopolis apud Tharsum Ciliciæ detenti sunt. primus sanctus Tharacus Maximiano Præfidi oblatus, & Christi nomen confessus, contractis maxillis in carcerem iniectus est: generosus verò Probus crudis neruis verberatur, ignito ferro pedibus comburitur, in ligno suspenditur, postremò gladio concisus, beatum finē accepit. Andronicus vero in ligno suspensus, acuto ferro cruribus & lateribus laceratur, eiusq; vulnera sale perfricantur, lingua & labia exciduntur, toto deniq; corpore concisus spiritum in manus Dei commendauit.

Eodem

Eodem die Natalis S. martyris Anastasiæ virginis, quæ sub Decio & Valeri. Imperatoribus ex vrbe Roma Præsidente Probo in monasterio quodam cum alijs virginibus monasticam vitam ducebat: delata vero apud Præsidem, ducta est ferreis vinculis ligata, cûq; Christi nomē professa foret, in os cæditur, denudatur, vritur, perfusa pice & cinere, postea in ligno suspenditur & abscissis ambabus mammis atq; vnguibus abstractis, manib⁹ & pedibus incisis, euulsis dentibus, demum gladio consummatur.

Die XIII.

Natalis sanctorum martyrum, Carpi, Papyli, Agathodori, & Agathonicæ, qui fuerunt sub Decio Imperatore, & Valeriano Proconsule Asiæ, ex quibus Carpus erat Episcopus Thyatiræ, Papylus vero Diaconus ab ipso Carpo ordinatus: detenti vero à Præside confessi sunt omnibus audientibus Christi nomen, cumq; Idolis immolare nollent, equis alligati, gradiebantur ante currum, tracti ad urbem Sardis, vbi suspensi, laniati sunt, & sanctus Agathodorus seruus beatorum Carpi & Papyli ab Angelo Dei corroboratus, ipse quoq; Christum confessus est: beatus vero Carp⁹ suspensus risit. Itaq; interrogat⁹ à iudice, quænam esset ridendi causa, Vidi, inquit, gloriam Domini mei & risi, Papylus vero quatuor palis alligatus in sublime tollitur & lapidatur, post hæc sancti viri simul ducti, supini super tribulos trahuntur, desuper verberati, & feris ad escam expositi, postea in ardentem caminum iniecti sunt, in quem & sancti Papyli soror Agathonice Deum orans vna cum illis ingressa est, cum vero ignis demisso imbrey extinctus esset, sancti martyres ense obruncati sunt.

Eodem

Eodem die Natalis sancti martyris Florentij. Hic fuit ex vrbe Thessalonica, qui cum esset Christianus & boni æmulator, coram omnibus Deos gentilium redarguens irridebat, Christianos verò in Christi fide confirmabat; cum hæc faceret, detentus ab illius regionis Præside, interrogatus, confessus est Christum solum esse DEVM, gentilium vero appellatos Deos, lapides esse, ligna, aurum & argentum, nihilque aliud esse Idola ipsa quam æs & ferrum inanimatum, & sensus expertem materiam: que dicens, in furorem commouit Præsidem. Itaq; suspenditur, laniatur, in ignem traditur & consummatur.

Eodem die Cômemoratio sancti Patris nostri Nicetæ Patritij, ex regione Paphlagoniæ, qui cum esset diuinarum literarum, & pietatis studiosus pro cultu sanctarum imaginum, aduersus eorum Impugnatores, & Imperatorem Leonem plurimum laborauit, multisque editis miraculis cum mortis suæ diem prædixisset, migravit in cœlum.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Benjamin Diaconi apud Persas, cum multos gentiles ad DEI notitiam conuertisset, tanquam maleficus in carcerem iniectus est, postea eductus in Christianæ fidei doctrina perseverans, omnia sustinens generosus Athleta, spiritum Deo commendauit.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Antiochi, qui propter Christi confessionem igne consummatus est.

Dis XIV.

Natalis sanctorum martyrum Nazarij, Geruasij, Prothasij, & cæteri sub Nerone Imperatore in vrbe Roma post consummationem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli martyrij, certamen subierunt. & sanctus quidem Naza-

Nazarius Africani & Perpetuę filius, fuit baptizatus à sancto Apostolo Petro, Protasius vero à Lino Romano Pontifice successore Apostoli Petri.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Cosmę Episcopi Maiumę viri sapientia & pietate insignis. Ecclesiam Maiumę, cuius fuit Episcopus, laudabiliter regens, ad summam senectutem peruenit & quieuit in Domino.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Siluani ex vrbe Gaza presbyteri, illius Ecclesię fide sincera, & Christianę confessionis insignis, qui postremo pro Christo Domino obruncatus sanguinem fudit.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Petri Anselami ex Eleutheropoli, qui cum corporis robore & animi vigore plurimum valeret, præclare admodum in pietatis certaminibus se gessit, & terrenis rebus omnibus contemptis in anno sexto Imperij Diocletiani & Maximiani, ignis certamine exacto victima Deo grata oblata est.

Die XV.

Commemoratio sancti martyris Luciani. Hic fuit ex Antiochia Syrię, Christianis ortus parentibus, quibus mortuis, facultates omnes pauperibus distribuit, & diuinarum literarum meditationi deditus multos Iudęos ac gentiles ad Christi fidem attraxit, qui & relicta domo Nicomediam venit, vbi tormentorum timore aliquot in fide ipsa torpescerent ad sustinenda certamina fulciebat. Diocletianus itaq; Maximianus Imperator cum martyris propositum in Christi cõfessione ita firmum esse cognouisset, vt mutari non posset, longa inedia, illum condemnauit. Multis igitur diebus cibi & potus expers in carcere obiit, cuius corpus Præsidis iussu in mare proiectum, delphinus Dei prouidentia sublatum, ad continentem terram detulit.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Sabini Episcopi, qui virtutem appetens, vigilijs, ieiunijs, & reliquis laboribus ita profecit, vt miracula etiam faceret, multosque ad virtutis studium, & mundi huius contemptum excitaret, cumq; ita vixisset, in pace quiescens, spiritum Domino & Saluatori nostro commendauit.

Eodem die, Commemoratio sancti Patris nostri & Confessoris Barli Episcopi vrbis Edessæ, qui fuit sub Valentiniano Imperatore. Hic multis editis miraculis migravit ad Dominum.

Eod. die Certamen monachi cuiusdam & martyris.

Eodem die, Commemoratio sanctorum martyrum Sarbili & Bebeæ sororis sub Traiano Imperatore.

Die XVI.

Natalis sancti martyris Longini Centurionis, qui propter Christi confessionem apud Cappadociam cum duobus militibus obruncatus est.

Eodem die Natalis duorum martyrum, qui cum sancto Longino pro Christi confessione interfecti sunt.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Malei. Hic relictis facultatibus cognatione, & terrenis rebus omnibus eremum habitans, vigilijs, ieiunijs, & reliquis asperæ vitæ studijs deditus multis editis miraculis, migravit in cælum.

Die XVII.

Commemoratio sancti Prophetæ Oseæ.

Eodem die Natalis sancti martyris Andreæ, qui apud Cretam imperante Constantino Copronymo pro veneratione sanctarum Imaginum, aduersus illarum impugnatores, egregiè pugnavit.

Eodem die Relatio pretiosarum reliquiarum sancti & iusti

iusti Lazari, quas reliquias celeberrimus & fidelissimus Imperator Leo diuino zelo commotus in templo pulcherrimo sub eius sancti viri nomine dicato ex vrbe Cytiensi Constantinopolim translatas, in argenteis loculis reposit.

Eodem die, Sanctorum fratrum Cosmæ & Damiani, Leontij, Anthimi, & Eutropij.

Eodem die, Sanctorum martyrum Chrysanthi & Daria. Item sanctorum martyrum Claudij Tribuni, qui sanctos Chrysanthum & Dariam cruciauit, & sanctæ Hilaria eius vxoris, Item sanctorum Mauri, & Iasonis filiorum.

Die XVIII.

Natalis sancti Apostoli & Euangelistæ Lucæ, qui fuit ex vrbe Antiochiæ Syriæ. Hic octoginta annos natus, dormiuit in Domino.

Eodem die, Commemoratio sancti Martini, & sancti Patris nostri Iuliani, qui apud ripas fluminis Euphratis speluncam habitans, monasticam vitam exercuit.

Die XIX.

Commemoratio sancti Prophetæ Ioëlis, & B. martyris Vari, qui fuit sub Maximiano Imperatore militans apud Ægyptum, claris & pijs ortus parentibus: cumq; septem viri sancti multo tempore Christianæ fidei causa in carcere detinerentur, sanctus Varus quotidie illorum curam gerebat, è quorum numero cum vnus obiisset, ipse pro illo numerari voluit. Itaque ad Iudicem cum reliquis ductus, veftibus grauius verberatus ac laniatus, in ipsis cruciatibus ad horam quintam extensis, beatam animam Deo reddidit.

Eodem die, Natalis sancti martyris Sadeth, & centum

tum viginti, qui sub Rege Sapore apud Persidem cum illo martyrium pertulerunt.

Die XX.

Commemoratio sancti magni martyris Artemij, qui cum fuisset Dux Augustalis Alexandriae & Patrius à Constantino Magno multis honoribus affectus, à Iuliano Apostata in vrbe Antiochia cum impietatem illi exprobraret, multis tormentis cruciatus, plurimis per eum editis miraculis migravit ad Dominum.

Die XXI.

Commemoratio sancti patris nostri Hilarionis.

Eodem die sanctorum martyrum Gajj, Dasij, & Zoticij, qui apud Nicomediam libere Christi fidem prædicantes in ligno suspensi, & laniati, postremo saxi collo alligatis in mare proiecti sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Socratis presbyteri, & Theodoræ. Item sancti martyris Eucratis.

Die XXII.

Natalis S. Abertij Episcopi Hierapolitani. Hic cum esset Hierapolis Episcopus Phrygiæ Salutaris, Imperatore Marco Antonino miraculorum & curationum multarum opifex vita & sanctitate illustris, migravit ad Dominum.

Eodem die Natalis sanctorum fratrum in vrbe Epheso, Maximiliani, Iamblichij, Martiniani, Dionysij, Antonini, Exacustodiani, & Constantini.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Alexandri Episcopi & Heraclij, Annæ, Elisabeth, Theodoræ, & Glyceriæ.

Die XXIII.

Natalis S. martyris Apostoli Iacobi, fratris Domini.
Eodem

Eod. die commemoratio patris nostri Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani. Hic fuit vir generis splendore illustris, sed vita & moribus illustrior, post multas ærumnas quas Photij opera perpeffus est, quieuit in Domino.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Macarij Romani.

Die XXIII.

Natalis magni martyris Aretæ & sociorum ex Æthiopia sub Iustino Imperatore. Aretas vir sanctissimus sua prædicatione multos ad Christi fidem cōuersos martyres Christo ipse secum obtulit.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Procli Patriarchæ Constantinopolitani, qui sanctarum literarum peritia, & probitate morum insignis, cum annos duodecim & menses tres Episcopatum bene rexisset, in pace migrāuit ad Dominum.

Die XXV.

Natalis sanctorum martyrum Marciani & Martyrij. Cūm Paulus Patriarcha Constantinopolitanus à Cōstantio Imperatore Arriano in Armeniam missus exul ab Arrianis suffocatus beatum finem assecutus esset, Martianus & Martyrius propter orthodoxæ fidei obseruatiā gladio cæsi sunt, & sepulti in porta Melandesia Constantinopolitanæ vrbis, quibus sanctus Pater Ioannes Chrysostomus templum à fundamentis erexit.

Eod. die Natalis S. martyris Anastasij, qui fidei Christianæ prædicatione multos conuertens, ense obrunctus, quieuit in Domino.

Die XXVI.

Commemoratio magni martyris Demetrii cognomēto Myrobleti. Hic fuit sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ex vrbe Theffalonica, qui iugulatus animam

nam emisit, multis postea per eum editis miraculis. Post illum & sanctus Nestor obruncatus dormiuit in Domino.

Die XXVII.

Commemoratio sancti martyris Nestoris, & sanctarum martyrum Capitolinæ, & Ergetidis sub Diocletiano Imperatore, & Zilicinthio Præsidi Cappadociæ.

Die XXVIII.

Sanctorum martyrum Terentij, Neonillæ, & sancti patris nostri Stephani Sabaithæ, qui omnes in Christianæ fidei confessione perseverantes, post carceres & verbera feris expositi, & in lebetes pice feruente plenos proiecti, cum tormenta omnia pro nihilo facerent, ense obruncati sunt.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Africani, Terentij, Maximi, Pompeij, & aliorum triginta sex, qui sub Decio Imperatore, & Fortunato Præsidi in Africa pro Christi fide certantes, verbera, ignitos obeliscos, & alios cruciatus pro nihilo ducentes, gladio sunt obruncati.

Eodem die Natalis sancti patris nostri Firmiliani Episcopi Cæsareæ & Melchionis Sophistæ Presbyteri Antiocheni, qui deposuerunt Paulum Samosatensem.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Ioannis Chozebitæ. Hic in Eremitico dicto Chozeba eximiam virtutis exercitationem assecutus multa effecit miracula, monachorum plurimorum Dux existens sicque in eadem Eremitico B. ex hac vita decessit.

Eodem die Natalis sanctæ Febroniæ filia Imperatoris Heraclij. Et sancti patris nostri Stephani Sabaithæ discipuli B. Sabæ. Et sancti martyris Cyriaci, qui manifestauit

festavit preciosam crucem Domini sub Imperio Constantini Magni & Helenæ matris.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani, & sociorum trium fratrum.

Die XXIX.

Natalis sanctæ magnæ martyris Anastasiæ Romanæ. Et sancti patris nostri Abrahami. Fuit autem Anastasia Decio & Valeriano Imperatoribus genere Romana, iuvenilem agens ætatem, & in monasterio vitam ducens, quæ liberè Christum confessa, alapis cæditur, & super ardentibus carbonibus extensa verberatur, alijsq; varijs tormentis cruciata, postremo obruncatur.

Die XXX.

Natalis sanctorum martyrum Zenobij, & Zenobiæ sororis, qui sub Diocletiano Imperatore pijs orti sunt parentibus, Zenobius quidem comprehensus astitit Præsidi, ad cuius interrogationem soror Zenobia seipsam quoque obtulit, verberati ambo, & in lebetem picis iniecti Christi gratia incolumes seruari ense percussi, beatum finem assequuti sunt.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Meletine, & sancti Martiani Episcopi Syracusarum, discipuli sancti Apostoli Petri. sanctus Martianus Episcopus ordinatus à B. Petro Apostolo missus est Syraculas Siciliæ, qui Idolorum templis oratione subuersis, multisq; ad veritatem cõuersis, signis & prodigijs, gentilibus ipsis attonitis, filios lucis effecit, quare inuidia commoti Iudæi, eius in prædicanda Christi fide libertatem non ferentes, violenta morte illum sustulerunt.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Cronionis, Iuliani, Macarij, & aliorum tredecim qui sub Decio

Imperatore apud Alexandriam pro Christo cruciati in confessione permanentes martyrij coronam acceperunt.

Eodem die Natalis sanctæ martyris Eutropiæ, quæ accusata apud Præsidentem Appellianum, ut Christiana & carcere inclusos sanctos visitans, primum suspenfa, lampadibus combusta, assererat se flammam illam ut a quam sentite, & terribilem quendam virum cernere ardorem refrigerantem, & tanquam rore quodam aspergentem, quem & milites ipsi cernebant, postea vehementius cruciata in tormentis ipsis spiritum Deo tradidit.

Eodem die Natalis sancti Apostoli Cleophæ, Et sancti Patris nostri Ioseph Patriarchæ Constantinopolitani, & sanctorum martyrum Asterij, Claudij, Neonis & Neonillæ sororis.

Eodem die sanctorum Terentij, Marci, Iusti, & Arremeræ, ex numero septuaginta, qui pro pietate certantes, tentationibus non mediocribus probati in pace beatas animas Domino commendarunt.

Eodem die sanctus Aristobulus, post multos fidei prædicatione conuersos, in pace quieuit.


Die XXXI.

Natalis sanctorum Stachys, Ampliæ, Urbani, Aristoboli, Narcissi, & sancti martyris Epimachi, ex quibus sanctus Stachys ab Apostolo Andrea Episcopus constitutus est, qui & Ecclesiam in Argyropoli ædificauit, in quam conueniebat Christianorum multitudo innumerabilis, quam beatus Episcopus docebat, cum quæ ita vixisset annos septendecim, dormiuit in pace. Sancti verò Amplias, & Urbanus, ab eodem Apostolo Andrea Episcopi ordinati, ille quidem Odysopolis, hic verò Macedonia, propter

pter Christianæ fidei confessionem, atq; Idolorum euer-
sionem, à Iudæis & gentilibus interfecti, beatas animas
Deo tradiderunt. Beatus verò Narcissus variè cruciatus
ipse quoque spiritum suum Christo Domino commen-
davit, pro quo & sanguinem fudit.

Eodem die Sancti martyris Epimachi. Hic ex vrbe Per-
lusto delatus apud Præsidentem Apellianum in vrbe Alexan-
dria Christianorum multitudinem cruciantem, quod al-
tate in quo sacrificium Idolis offerri ceptum esset, sub-
uertisset, in ligno suspensus, ferreis vnguibus discerpitur,
& post alios cruciatus, ense obruncatus, ad cœlestem vi-
tam translatus, requieuit in Domino.

Eodē die Natalis S. Patris nostri Iacobi Episcopi Myg-
doniæ, vnus ex trecentis decem & octo sanctis Patribus,
qui conuenerunt in urbem Nicæam, Hic sanctus Iacobus
fuit Episcopus Antiochiæ Mygdoniæ, quæ & Nesibe di-
cta est, admirabilium operum parrator.



MENSIS NOVEMBRIS

Die primo.

COMMEMORATIO sanctorum Cosmæ & Damiani
filiorum Theodotæ Asiæ mulieris.

Eodem die sanctorum martyrum Cyriacæ & Iulianæ,
quæ sub Maximiano Imperatore comprehensæ à Mar-
tiano Præsidente, cum Christum nollent abnegare, Cyriaca
nudo capite nuda per urbem à militibus inhonestis cir-
cumducitur, & ad ciuitatem Rossensem ducta cum san-
cta Iuliana igni tradita, martyrij cursum compleuit.

FO
IDEA

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Cæsarij, Dasij, & aliorum quinque. Hi sancti viri detenti in vrbe Damasco, & diuersis cruciatibus inquisiti ense obruncati sunt.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Ioannis Episcopi & Iacobi Presbyteri, qui sub Sapore rege Persarum, Christianæ fidei doctrinam tradentes, multosq; ad pietatem munientes, detenti à ministris ipsius Regis, post varia tormenta, ense obruncati, Domino animas suas commendarunt.

Eodem die Natalis sancti martyris Hermeningildi.

Die II.

Natalis sanctorum martyrum Acindyni, Pegasij, Aphthonij, Elpidophori & Anempodisti, qui cum essent ex Persarum regione primas habentes apud Saporem regem, pietatem summo opere colebant, cuius causa cruciatus omnes contemnes gladio percussi, martyrij cursum compleuerunt.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Eudoxij, Agapij, & aliorum octo, qui apud Sebastiam, sub Licinio Imperatore, Auxano, Marcello, & Marco Agricolo Præsilibus in ignem coniecti, animas ipsas Deo commendarunt.

Eodem die Sancti Patris nostri Marcianij ex vrbe Cyro, viri pietate insignis, qui egregie monasticam vitam exegit.

Die III.

Natalis sanctorum martyrum Acepsumæ, Aithalæ, & Iosephi, atq; Encænia templi magni martyris Georgij apud Lydam. Hi sub Sapore rege Persarum detenti, examinati sunt, vt Christiani, & Acepsumas quidem virgis cæditur, Ioseph autem ita verberatur, vt carnes ipsæ usq; ad ossa

ad ossa discissæ sint. Sanctus verò Aithalas manibus & pedibus sub genua ligatis verberum magnitudine eneruatus, carcere includitur, postremo varijs tormentis consummati, sanctas animas Deo tradiderunt.

Eodem die Natalis sancti Acepsumæ, qui sub Theodosio Magno, cella se inclusit, in qua sexaginta annos transegit, neminem videns aut alloquens, sed sibi ipsi, & Deo vacans omnem recreationem sentiebat, multis verò editis miraculis in pace quieuit.

Eodem die commemoratio sancti Patris nostri & confessoris Theodori Episcopi Ancyrani, & sanctorum martyrum Severi, Andronæ, Theodoti & Theodotæ ense consummatorum.

Die IIII.

Natalis sancti Patris nostri Ioannicij magni, & beatorum martyrum Nicandri Episcopi Myræ & Hermæi Presbyteri. Beatus Ioannicius ex regione Bithyniæ ex terrena militia ad cœlestem se transferens, aspera veste se induens, in sublimibus, desertisque montibus, herbis agrestibus vescens, multos annos transegit, & ad cœlestem vitam migravit: Nicander verò Episcopus, & Hermæus Presbyter, cum multos ab Idolis ad Christum conuertissent, Libanio Præsidi oblati propter Christianæ fidei confessionem, laniati & suspensi, Deo sanctas animas tradiderunt.

Eodem die Natalis sancti martyris Porphyrij, qui fuit ex vrbe Ephesi sub Aureliano Imperatore Christianam fidem confessus, ense obruncatus est.

Die V.

Commemoratio sanctorum martyrum Galationis & Epistemes. Hi S. martyres sub Decio Imper. pro Christiano

nino

ni nominis confessione manibus & pedibus mutilati, sanctus Galation annos triginta natus, sancta verò Episteme annum agens sextum decimum obruncati sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Hermæ, Lini, Gaij, Philologi, & Patrobæ, qui Christianæ fidei confessione insignes, multa propter pietatem perpessi, ac plurimis ad Christi fidem conuersis, qui seuerunt in Domino.

Eodem die commemoratio sancti Pamphili martyris qui sub Maximiano Imperatore & Urbano Præfide Palæstina sapientia & virtute illustris, pro Christiani nominis confessione semel atque iterum carcere inclusus, & corpore laniatus, martyrij finem consecutus est.

Die VI.

Commemoratio sancti patris Pauli Archiepiscopi Constantinopolitani. Hic fuit ex vrbe Thessalonica post sanctum Alexandrum, Constantinopolitanæ vrbis creatus Episcopus, sed à Constantio Imperatore Arriano eiectus de sede, Romam veniens, Magnum Athanasium, ipsum quoque ab eodem Imperatore de Alexandrina Ecclesia deiectum inuenit.

Die VII.

Eodem die commemoratio sanctorum triginta trium martyrum Hieracis & reliquorum, qui Melitine sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus Christianam fidem professi, verberati per multas horas, extra urbem Melitanam obruncati martyrium consecuti sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Melasippi, Casina, & Antonij, qui sub Iuliano Apostata apud urbem Ancyram, Christianam fidem professi, martyrij palmam acceperunt.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Augusti Thau-

cti, Taurionis, & Thessalonicae apud Amphipolim Macedoniae. Thessalonica filia cuiusdam Cleonis sacerdotis Idolorum, Christianam fidem amplexa, cum nullis precibus & blanditijs ab ea dimoueri posset, nuda crudis neruis à quatuor satellitibus verberata, in exilium missa, cum neque illic Christum confiteri desisteret, in exilio ipso animam Deo tradidit, Auctus verò & Taurion ducti ad Praesidem Thorybium nudi caesi, lapidati, & in caminum ardentem iniecti, postremo in paludē demersi, atq; illinc incolumes erepti, Praesidis iussu obtruncati, felicem sui certaminis finem adepti sunt.

Eodem die commemoratio sancti martyris Athenodori, fratris B. Gregorij cognomento Thaumaturgi.

Eodem die sancti martyris Alexandri, qui apud Thessalonicam sub Maximiano Imperatore martyrium compleuit.

Die VIII.

Celebritas Principis militiae caelestis Michaëlis, & reliquarum virtutum incorporearum.

Die IX.

Natalis sanctorum martyrum Onesiphori, & Porphyrij, qui Christum Dominum profitentes, sanguinem fuderunt.

Eod. die sanctae matris nostrae Matronae, quae sub Leone Magno Imperatore ex Perge vrbe Pamphiliae monasticae virtutis exercitatione nobilis, editis per eam miraculis centesimum propè annum agens, decessit in Domino.

Eodem die commemoratio sanctae Theoctistae Lesbicae. Haec ex vrbe Methymna, monasticam vitam ducens, ad Dominum, cui tam rectè seruierat, multos post annos migravit.

y

Eodem

Eodem die Natalis sanctarum mulierum Eustolix & Sopatræ. Sancta Eustolia fuit sub Mauritio Imperatore, pijs orta parentibus, quæ à tenera ætate monasterio data, vacans ieiunijs, atq; vigilijs diuino amore accensa, relicta vrbe Roma, venit Constantinopolim, vbi visitatis sanctis & venerabilibus locis, Sopatram Mauritij Imperatoris filiam inuenit, à qua rogata est beata Eustolia vt liceret eam spiritualem matrē habere corporis, & animæ custodem. Itaq; relicta Regia monasticam vitam aggressa est, cumq; à patre Imperatore petijisset, vt locum aliquem idoneum sibi pararet, ædificata est illi domus oratoria, vbi cum sancta Eustolia vitam degebat, quam multæ piæ ac deuotæ virgines adeuntes, duram & laboriosam vitam exercitabant: Beata vero Eustolia plurimis annis, in monastica exercitatione tráctis in pace migravit ad Dominum, B. Sopatram suo loco relinquens, quæ spiritualis matris exemplum sequuta ad summam virtutem perueniens migravit ad Dominum.

Eodem die commemoratio sancti martyris Antonij ex regione Syriæ, qui cum esset cæsor lapidum & videret gentiles in Idolorum templo immolantes, à vana superstitione illos dehortabatur; postea vero ingressus in eorum templum Idola ipsa contriuit: quare detentus, & grauius verberatus, dimissusq; abiit in Apamiam Syriæ ibiq; à sancto Episcopo obtinuit, vt liceret ei templum ædificare sub nomine sanctæ Trinitatis, quod cum cepisset, & indigenæ cognouissent, nocte irruentes ensibus membratim illum conciderunt.

Die X.

Natalis sanctorum Olympæ, Rodionis, Sospatri, Tertij, Erasti, & Quarti.

Eodem

Eodem die Natalis sancti martyris Orestis. Hic fuit ex vrbe Tyana regionis Cappadociæ, qui sub Imp. Diocletiano Præsidi Maximiano ductus ad templum Idolorum cum in Idola ipsa insufflasset, statim in puluerem redacta sunt. Itaq; in carcerem coniectus, & post septem dies eductus, stetit ad tribunal Præsidis, renuens sacrificare, quamuis clavis longioribus, talis eius perforatis, feroci equo alligatus, & ad viginti longe ab vrbe Tyanensi tractus spiritum Deo tradidit.

Eodem die commemoratio sancti martyris Mili Episcopi & duorum discipulorum, qui ex Persarum regione ad Christi fidem conuersus ac baptizatus diuinas literas edoctus, vna cum duobus discipulis pro mortali & terrena vita immortalē, ac cœlestem assequutus est.

Die XI.

Commemoratio sanctorum martyrum Menæ, Victoris, Vincentij. Et beati patris nostri cōfessoris Theodori Studite. sanctus magnus martyr Menas sub Imperatore Maximiano militans Præsidi Argyristo, cum non pateretur videre Idolorum errorem aperte prædicari, ascendit in montem vbi se ieiunijs & orationibus purgans & diuino Christi desiderio animam accendens descendit de monte, & in medio Idola colentium hominum consistens Christum prædicabat; quare læceratus, & asperis vestibibus carnes confricatus, toto corpore laniato beatorum martyrij finem accepit.

Eodem die commemoratio sancti martyris Victoris, sub Antonino Imperatore & Sebastiano Duce pro Christi confessione in Italia passi.

y z

Eodem

Eodem die Natalis sancti martyris Vincentij Diaconi apud Augustopolim Hispaniæ passi.

Eodem die Sanctæ martyris Stephanidis, quæ cum Christum coleret, videns sanctum Victorem admirabili fortitudine, & tolerantia pro Christo tormenta perferentem, Beatum prædicavit, cumq; inspexisset coronas utriusque à Deo paratas, adiens Præsidem Christum Dominum æternum esse confessa est, ob idque cruciata, atq; in duas partes secta, animam Deo reddidit.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Theodori cognomento Studitæ. Hic fuit sub Imperatore Constantino Copronymo diuinis literis eruditus, & vitæ sanctitate insignis, post venerabilem Platonem Abbas Monasterij Studitarum, sæpe in exilium missus, sub Michaële Imperatore, reuocatus paulo post, requieuit in Domino.

Die XII.

Commemoratio sancti Patris nostri Ioannis Archiepiscopi Alexandrini cognomento Eleemonis, hic fuit Cyprius genere, Epiphaniij illius regionis Ducis filius, qui cum omnem diligentiam atque operam ad virtutis studium, & Dei gratiam sibi conciliandam contulisset, propter vitæ splendorem, Heraclio Imperatore petente, factus est Archiepiscopus Alexandrinus. Itaque ut lucerna in candelabro posita, eluxit, multisque annis in sacerdotio transactis, multa efficiens miracula, abunde pauperibus, & egenis vitæ necessaria suppeditans. Vnde Eleemonis cognomentum accepit, omnibus & ipsis etiam infidelibus venerabilis migravit ad Dominum.

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Nili. Hic fuit sub Imperatore Mauritio, sanctarum literarum eruditione, & sanctitate morum insignis, qui cum orationis facultate

tate, & rectæ vitæ exemplo plurimos ad virtutis studium excitasset, in pace quieuit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Antonij & sociorum, qui fuerunt sub Maximiano Imperatore. Antonius ætate prouectior, Nicephorus verò Zebinas & Germanus iuuenili vigore florentes: comprehensi verò apud Cæsaream, & Christum liberè confessi, obtruncati sunt. Virgo autem Manathò ex Scythopoli nuda per urbem ducta, igni traditur.

Die XIII.

Natalis sancti Patris nostri Ioannis Chrysoctomi Archiepiscopi Constantinopolitani.

Die XIV.

Natalis sancti Apostoli Philippi, qui fuit ex Galilæa, ex Berhsaide, vnus è numero duodecim Apostolorum,

Eodem die Natalis sancti Patris nostri Hypatij Episcopi Gangrenæ. Hic fuit vnus ex numero trecentorum & decem, & octo Patrum, qui aduersus Arrium Hæresiarum Constantino Magno Imperatore, in urbem Nicæam conuenerunt, qui post celebratam sanctam Synodum ad Ecclesiam suam reuersus, à Nouatianis hæreticis insidiantibus per viam transiens lapidatus est. Itaque ex præsentis vita liberatus ad æternam illam perductus est.

Die XV.

Natalis sanctorum martyrum Guriæ, Samonæ & Abibi. Qui apud Edessam martyrium passi sunt sub Diocletiano Imperatore, & Antonino Præside, apud quem delati, quod in carcere Christianos homines curarent, illi astiterunt. Gurias & Samonas accusati, quod hominibus persuaderent, ne Idolis sacra facerent, qua de causa ex

altera manu suspensi, à tertia vsque ad horam sextam in confessione persistentes, postremo ense obtruncati sunt. Beatus verò Abibus Diaconus accusatus quod oppida, & castella circumiret, & Christi fidem doceret, Imperatore Licinio iubente in ardentem caminum iniectus, martyrij cursum transegit.

Eodem die Natalis sanctorum Baruch & Iacobi fratris Ioannis Theologi.

Die XVI.

Commemoratio sancti Apostoli & Euangelistæ Matthæi.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Quintiliani Episcopi Seleuci.

Eodem die, Commemoratio Sanctorum martyrum Elpidij, Marcelli, Eustochij, & sociorum; beatus Elpidius vnus ex ordine Senatorum assistens Iuliano Apostatæ, Christianam fidem professus, post alia tormēta equis ferocibus, & tauris simul cum Eustochio & Marcello, dilaniandus ligatur, quorum membra rusticis vectibus contracta sunt, in ignem postea iniecti, beatas animas in manus Dei commendarunt.

Eodem die, Natalis sancti martyris Barlaam ex Antiochia, quem beatus Chrysofomus encomijs honorauit. Hic propter Christi confessionem, ex carcere Iudici oblatus, neruis cæditur, & extirpatis vnguibus ad aram ductus, aperta manu carbones cum ture accepit: sic enim placuit Iudici, vt scilicet, si ardore compulsus carbones ipsos cum ture proijceret, censeretur Idolis sacrificia obulisse; ille verò immobilis atque inflexibilis persisteret dextram manum ære & ferro duriolem cōtineret, quoad caro ipsa igne consumpta, atque exesa in terram deflueret

ret. neruis igitur diuulsis, & manu consumpta, spiritum Deo reddidit.

Die XVII.

Commemoratio sancti Patris nostri Gregorij cognomento Thaumaturgi. Hic fuit sub Aureliano Imperatore, gentilibus ortus parentibus, factus verò Christianus, tot & tanta miracula facere cœpit, vt ex ea re nomine Thaumaturgi appellatus sit.

Eodem die, Commemoratio sancti confessoris Lazari Pictoris. Hic à puero Solitariam vitam amplexus, pingendi artem edoctus est, duriori vitæ, continentia, atque eleemosynarum largitioni deditus. Quamobrem sacerdotij gradu decoratus est. Itaque aduersus omnes Hæreses certamen suscepit, totque & tantas ærumnas ab ijs, qui cum Eutyche, Nestorio, & Dioscoro hæreticis sentiebant, quin etiam ab Impiis sanctarum Imaginum oppugnantibus passus est, quantas verbis explicari facile non est. ob eam causam antiquiorem Romam profectus pro patrijs & Apostolicis dogmatibus pugnaturus.

Die XVIII.

Commemoratio sancti magni martyris Platonis. Hic fuit ex vrbe Ancyra Galatiæ, frater sancti martyris Antiochi, qui propter Christi confessionem oblatus Agrippino Præsidi à duodecim militibus, verberatus & super grabatum æreum accensum extensus, postremo detracta corporis pelle laniatisque carnibus, ense percussus, martyrio coronatus est.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Romani. Hic fuit sub Maximiano Imperatore, qui propter Christi fidem Asclepiadem tribunum ad Idolorum templum ingredi volentem detinebat, inquitens: Idola ipsa non sunt

Sunt Dij, Christiani verò homines gentilibus excellunt, idq; vel pueri norunt. Hęc cùm dixisset in os cæditur, & maxillis laniatur. Petente autem sancto Romano ductus est puer, qui interrogatus, qualem nam Deum colere oporteret, Christianorum, inquit ille, cùm vero astante illic & eius matre, sitiens puer aquam petisset, mater & pia, & religiosa fœmina dixit, Ne bibas puer ex hac aqua, sed abi, & bibe ex viuenti, & perenni illa aqua: Tyrannus vero rei miraculo confusus puerum illum obruncari iussit; at sanctus Romanus, excisa lingua loquens admirabiliter, Deo gratias agebat. Tanto autem miraculo peruulgato, iussu Imperatoris suffocatus, à præsentī breui sæculo liberatus, martyrij coronam accepit.

Eodem die sancti martyris Romani Diaconi Palæstini. Hic ex Palæstina regione genus ducens, Cæsariensis Pærotiæ Diaconus, Exorcista sub Diocletiano Imp. apud Antiochiam martyrij certamen subiit. Itaq; sponte iudicem adiens, statim ignis supplicio condemnatur, quod cum cognouisset Diocletianus, ignis quidem pœnam remouit, sed linguam excidi iussit. martyr igitur lingua priuatus est, sed nihilominus tamen clarius loquebatur, ac liberius Christum prædicabat, iniectus postea in carcerem compunctis pedibus laqueo innexus necatus est.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Micheæ, Zacchæi Diaconi Gadirensis Ecclesiæ, & Alpei. ductus est beatus Zacchæus ad Tribunal, ferreum & graue in collo habens vinculum, atque interrogatus, grauibus & inhumanis subiicitur supplicijs, & die, ac nocte cruciatus tormenta sustinebat. Post hunc Alpeus plenus spiritu sancto adducitur, & flagris toto corpore cæditur, ac lateribus igni combustis carcere includitur: mane eductus, mortem ense illatam suscepit.

Die

Die XIX.

Commemoratio sancti Prophetæ Abdæ.

Eodem die commemoratio sancti martyris Azæ hic fuit ex regione Isaurorum militans sub Diocletiano Imperatore, qui relicta militia Eremum incolebat multasque orationes & miracula faciens; delatus verò à quibusdam venatoribus, ductus est ad Diocletianum; quo audiente Christi fidem confessus, traditus est Aquilino tribuno cum centum quinquaginta militibus, qui ad eum capiendum venerant, & eius visis, dum reuerteretur miraculis ad Christum conuersi erant; Siquidem precibus aquam eduxerat, & sitientes recreauerat: Tribunus autem sanctum martyrem Azen ad terrorem multorum plurimis plagis supposuit, in rota suspensum ferreis unguibus laceratum, & ad caminum ignis iniectum: cum verò flamma ipsa extincta esset, & beatus martyr incolumis permanisset, tribuni vxor, & filia ad Christi fidem conuersæ sunt. Tunc tribunus centum quinquaginta militum capita abscindi, cum quibus vxorem & filiam obtruncari fecit, postea sanctus martyr ense consummatus est.

Eod. die Natalis S. martyris Heliodori ex Magedo vrbe Pamphylia. Imperatore Aureliano in vrbe Roma, Præsidente Aëtio in Magedo ciuitate Pamphylia. Beatus Heliodorus in illa ipsa vrbe Christum prædicans delatus est apud Præsidem. Itaque adductus, cum Idolis sacrificare non pateretur, suspenditur, & laceratur, cumque tormentorum acerbitatem sentiret, clamabat, Domine Iesu Christe adiuua me, statimque è cælo voce missa, audiuit, Ne timeas, tecum enim sum. Hanc vocem, qui faces accensas tenebant, atque insuper quatuor videntes Angelos tormentorum vim prohibentes, in Christum crediderunt, & arguentes Præsidem in mare proiecti sunt,

z

victoria

victoriæ coronas percipientes. Tūc iussit Præses æneum
 bouem accendi, atq; in illum martyrem injci, vt inieci⁹
 est, confestim eius precibus, ardens bos ille effectus, est
 frigidus; ea re iudex magis obstupuit, quod virum illum
 intus psalmos canentem sensit: accedens vero ad æream
 illam machinā, cū vidisset scintillas modo emittētem,
 repente frigidam effectam, sanctum virum increpans, Tu
 ne, inquit, scelestum caput tuis magicis artibus igni
 præualuisti? Cui sanctus ille, Me æ, inquit, magicæ artes
 Christus est, Præscribe mihi, inquit, trium dierum tēpus
 vt mecum ipse cogitem, quid agere debeam. Ita q; remis-
 sione accepta, clam Pantheon adiit, cumq; Deum preca-
 tus esset, Idola omnia repenti decidentia contrita sunt.
 Cum hoc audisset Præses Heliodorum ad se ductum fu-
 rore plenus suspendi iussit, & clauos ignitos in eius caput
 defigi, cum verò iudex vidisset martyrem nec multi-
 tudine, nec varietate tormentorum superari, ad ci-
 uitatem Atalensium illum misit, ibique constanter in
 confessione permanentem in feruentem sartagine
 immisus est, vbi stans atque orans illæsus permansit, hor-
 tans circumstantes omnes, vt ipsi illuc introirent, promit-
 tens ipsos incolumes permanuros, ingressi sunt & ipsi
 atq; illæsi permanentes crediderunt in Dominum, dicē-
 tes, Verè magnus est Deus Christianorum. Vt vidit Præ-
 ses multos in Heliodori Deū credidisse, timens ne forte è
 manibus eius eum eriperent, iussit ad urbem Magedo re-
 duci, quem milites orantem ac psallentem duxerūt. Rur-
 sus vir sanctus interrogatus eandem Christi confessio-
 nem repetens magis magisq; asseruit, Præses iussit linguā
 excidi, & suspensum duabus horis cædi & campo imposito
 extra urbem traxerunt; quibus vir sanctus manu annuēs,
 consti-

constitit ad precandum, qua precatione completa obtruncatus est.

Eodem die certamen sanctorum martyrum Anthimi, Thalelæi, Christophori, Euphemie & filiorum, & sancti * Zenchrij.

* Memoria magna: Pancharij.

Die XX.

Commemoratio sancti patris nostri Gregorij Decapolitæ. Hic fuit ex Decapoli Isaurie impiorum Iconomachorum temporibus; qui clam fugiens propter prævalentem hæresim illorum, qui sanctas imagines oppugnabant, factus monachus speluncam ingressus est, in qua Dæmones multi habitabant, qui varias quidem & graues molestias viro sancto intulerunt, sed eius oratione fugati sunt. Postea diuina visione admonitus speluncam reliquit, & vrbes ipsas peragrās, venit Syracusas ciuitatem Siciliæ, vbi multa quotidie edebat miracula, postea venit Theffalonicam ad templum sancti martyris Demetrii, postea Byzantium, confessionem assequi cupiens, illinc Romam migravit, omnem Occidentalem regionem obiens, miraculis & prodigijs multos obstupescere faciens, postremo Byzantium repetit, vt Simeonem confesorem diuinum hominem pro sanctarum imaginum confessione inclusum visitaret, quo viso post paucos dies Domino spiritum commendauit.

Eodem die commemoratio sanctorum martyrum Nersæ Episcopi, & Ioseph eius discipuli, & aliorum qui cum ipso consummati sunt apud Persidem. Erat Nersas Episcopus annos natus octuaginta, eius autem discipulus Ioseph octogesimum nonum agebat annum, cum quibus alij erant Episcopi, sacerdotes, idiotæ,

z z

qui

qui cum virginibus & mulieribus diuersis modis probati, & varijs tormentis inquisiti, martyrij coronam retulerunt.

Eodem die Certamen sancti martyris Dasij apud Dorostolum. Hic fuit Imperatoribus Diocletiano & Maximiano in vrbe Dorostolo prope flumen Istrum, qua in vrbe morem talem gentiles habebant, vt anniuersarium diem festum Saturno celebrarent, atq; ante triginta dies vnum aliquem è numero militum speciosum eligerent, ac regali veste induerent, atque impiorum voluptatibus omnibus abuterentur, omnemque lasciuiam, & carnis libidinem explerent, eorum lege hoc permittente, post verò triginta illos dies seipsum propria manu iugulatum Saturno offerret. Sorte igitur, & militibus ad Beatum Dasium conuenientibus cogebant, vt illud idem ipse faceret, qui cum esset mentis compos, quoniam, inquit, moriturus sum, satius mihi erit, vt Christianum pro Christo meo mori. Itaque assistens ad tribunal Bassij multa supplicia perpeffus, postea obruncatus est.

Eodem die, Natalis sanctorum martyrum Eustathij, Thespesij, & Anatolij, qui fuerunt Maximiano Imperatore patriam habentes, Galatarum urbem Gangram, Philothei & Eusebix filij, superstitionis gentilium Sectatores. Cùm verò Philotheus vnà cum filio Anatolio Nicomediam iter facerent sancto Luciano Presbytero occurrentes admonitionibus instructi, persuasi sunt, & ab eo baptizati. cum verò venissent Nicomediam, Eustathius, & Thespesius beati Anthimi oratione conuersi, baptizati sunt, & pater ipsorum Philotheus Presbyter, filius verò Eustathius Diaconus ordinatus est, paruo temporis intervallo parentes è vita decesserunt, & eorum filij delati apud Præsidem vt Christiani baculis verberati sunt, & car-

cerè

cere inclusi, vbi diuina Angeli præsentia ex vinculis erepti cibi participes facti sunt, mane verò diuersis feris expositi, intacti permanserunt, quos sibi traditos Antonius Iudex accipiens, Nicæam adductos, varijs cruciatibus subiecit; in ligno enim suspensi, & ferreis vnguibus ita lacerati, vt sanguine suo terram madefecerint, rursus in carcerem coniecti, rursus diuina & Angelica præsentia plagarum dolor recreatus, & ipsorum corpora sana restituta sunt. Hæc videns sanguinarius ille Iudex, lata sententia obruncati, beatas animas in pace DEO traderunt.

Eodem die, Sanctorum martyrum Boithazat Eunuchi, & Susannæ, & sociorum virorum, & sanctarum mulierum, Sanctus Boithazat, cum esset Christianus, soli & igni immolare iussu regis Perfarum, simul cum sancta Susanna interfectus est, cum quibus sanctæ mulieres monasticæ exercitationis cultrices, Baicha, Thecla, Dinach, Mama, Malchia, Anna, & Tentis obruncatæ sunt. Anna quidè & Alte, & Malchia, quæ perpetuam virginitatem serauerant, gladijs concisæ sunt, vbi verò earum sanguis defluxit pius, productam curationum gratiam fidelibus supeditauit.

Die XXI.

Celebritas sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis semper virginis Mariæ, qua consecrata, & reposita est in templo tres annos nata, à Ioachimo, & Anna.

Die XXII.

Certamen sanctorum martyrum Marci & Stephani, qui sub Diocletiano Imperatore, & magno Præsidente ex Antiochia Pissidiæ propter Christianam confessionem

z 3

ad

ad Præsidem adducti & interrogati in Christi confessione persistentes, & plurimis tormentis probati, obtruncati sunt pro Christi nomine.

Eodem die Natalis sanctorum Philemonis, Archippi & Apphiæ discipulorum sancti Pauli Apostoli, fuerunt hi sancti viri sub Nerone Imperatore discipuli Apostoli Pauli, martyrium passi apud Colossos urbem Phrygiæ, prope Laodiceam, cum enim gentiles Dianæ in eius templo diem festum agerent, ipsi in sanctissima Ecclesia cum reliquis Christianis, Deum glorificabāt, cum verò Idololatræ in eos irruerent, alij aliò aufugientibus, tantummodo Archippus, Philemon, & Apphias remanserunt, pro Christi confessione martyrium cupientes, illos igitur detentos ad Androcleum Ephesi Præsidem duxerunt, à quo verberati, & Idolis sacrificare omnino recusantes, in foveas ad renes usque deiecti, iactis lapidibus interfecti, migrarunt ad Dominum.

Eodem die Commemoratio sanctæ martyris Cæcilie, Valeriani, & Tiburtij sub Diocletiano Imperatore in vrbe Roma.

Die XXIII.

Natalis sancti Patris nostri Amphiloehij Episcopi Iconij, sub Theodosio Imperatore magno, vir diuinarum literarum peritia, & sanctitate vitæ rectæ & Catholice fidei sinceritate insignis, Basilij magni amicitia & testimonio commendatus. Hic libros orthodoxam fidem continentes conscripsit, & ad summam senectutem prouectus in pace quieuit.

Eodem die, Commemoratio sancti martyris Sifinij, Hic fuit sub Imperatore Diocletiano & Alexandro Præsidente, ex vrbe Cyzico, qui cum multitudinem Hebræorum

rum

rum & gentilium Christi fidem doceret, & à patrijs erroribus, Idolorum ministros ad Christum Dominum conversos baptizaret, & fideles ipsos, ne in ærumnis & cruciatibus deficerent, suis admonitionibus confirmaret, quique propter Christi nomen in carceribus detinebantur, eos visitans, ad martyrium subeundum excitaret, delatus apud Diocletianum, detentus, flagris cæsus, & suspensus ac laniatus, ense obruncatus est.

Eodem die Commemoratio sancti Gregorij Episcopi Agrigentinae. Hic fuit sub imperio Iustianiani ex vrbe Agrigento, pijs atque hospitalitatis & eleemosynarum studiosissimis parentibus ortus, annos natus decem & octo desiderio venerandi sancta loca Hierosolymam petijt, ibique à sancto Macario Diaconus factus, reuersus est Byzantium, postea Romam venit, vbi Episcopus Agrigentinus creatus est, quo munere præclare functus, multis editis miraculis in summa senectute migravit ad Dominum.

Die XXIIII.

Natalis sanctorum martyrum Clementis, Romani & Petri Alexandrini.

Eodem die, Natalis sancti martyris Alexandri apud Corinthum. B. Gregorij in aurea petra. & sancti martyris Theodori Antiochia. vir sanctus Alexander sub Iuliano Apostata à Salustino tribuno captus, cum fidei Christianae desertore Iuliano.

Hanc lacunam explere possumus ex Menæis magis Græcorum.

Die XXV.

Commemoratio sanctæ magnæ martyris Catherinæ, quæ fuit ex vrbe Alexandria.

Eodem

Eodem die comemoratio S. magni martyris Mercurij Decio & Valeriano Imperatoribus ex regione orientali qui propter Christianæ fidei confessionem, cum Decio esset oblatus, gladio percussus, & quatuor palis alligatus, lacerato corpore, postea capite in terram verso suspensus, depositus, Cæsaream urbem Cappadociæ ductus, annos natus viginti quinque obtruncatus, ad cœlestem patriam migravit.

Die XXVI.

Natalis sancti patris nostri Alypij Cionitæ. Hic fuit sub Heraclio Imperatore ex vrbe Adrianopoli Paphlagonie, vir omnigena & exercitatione virtutis insignis & tolerantia ipsa omnes superans; quâdoquidem in columna stetit annos quinquaginta tres in vno procumbens latere, ita vt in altero declinarit annos tredecim, quoad beatam animam Deo commendauit, omne autem vitæ tempus fuerunt anni centum.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Styliani Paphlagonis, qui omnes facultates pauperibus distribuit, & monasticam vitam ingressus laboriosa exercitatione, & vitæ duritia omnes superans, eremum accessit, & speluncam subiens, vbi à diuino Angelo nutritus est, multis denique per eum editis miraculis, mortuus in Paphlagonum regione depositus est, quo loco curationes, & miracula multa perfecit.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Iacobi Anachoretæ. Hic fuit vir miræ exercitationis; cœlum enim pro tecto habens, sub dio viuens, tanquam in alio corpore, omnia patienter perferebat. Multa quidam extiterunt huius sancti viri egregia facta quæ verbis explicari non possunt. Cum igitur bonum certamen certauerit, exultans migravit ad Dominum.

Eodem

Eodem die natalis sancti patris nostri Niconis. Hic fuit ex regione Armeniorum, qui eum audisset vocem illam, Omnis qui reliquit patrem, vel matrem, & quæ deinceps sequitur, relictis omnibus, venit ad monasterium quoddam ubi omnem virtutis exercitationem exhibens, summa vitæ duritia superiores antecessit, aliquando autem postea illinc egressus totum orientem peragrans, clamabat, Pœnitentiam agite, ex quo & cognomen accepit, cumque regionem Pelopis, & omnes vrbes obijisset, venit in urbem Laconiam, in qua varia edens miracula, templum erexit Christo Salvatori nostro, ubi ad finem usque monachi vitam exercens, coronam sanctæ exercitationis à Christo Domino accepit.

Die XXVII.

Natalis sancti martyris Iacobi Persæ. Hic fuit sub Honorio, & Arcadio Imperatoribus Christianæ fidei cultor inde usque à maioribus in vrbe * Bethabata in regione Eluzesiorum, genere illustri ortus, & à Rege Isdigerdo valde honoratus. Quamobrem ut Regalem honorem sibi cõservaret, desciuit à fide Christianorum, & unà cum Rege ad ruinam delapsus Christum ipsum abnegavit. Cum verò eius mater & vxor ab ipsius communione ob eam causam se abduxissent, quod Christi ipsius charitati Regis gratiam prætulisset, & propter temporalem gloriam perpetuum dedecus, & condemnationem sibi conscivisset, cum vxor, & mater hæc literis significassent, ille mente compunctus, à vana Regis superstitione discedens peccatum suum deflevit, quod scilicet Christum deseruisset. Quapropter ante Regem constitutus est, ad inquisitionem, & cõdemnatus acerbissimam mortem sustinuit.

Menæa magna: Bethabata.

nuit. Singulis enim corporis compagibus dissolutis, capite obruncatus est.

Die XXVIII.

Certamen sanctorum martyrum Stephani iunioris, Petri & Andreæ, qui fuerut sub Constantino filio Leonis Isaurici orthodoxa fide, & monastica vita præstantes, de quibus cum audisset impius Tyrannus quod essent orthodoxæ fidei sectatores, eiusq; hæresim irridentes, multorum magistri existerent, diuersis temporibus mittens comprehensos ad se adduxit, & sanctum quidem Stephanum per plateam trahi iussit, qui capite obruncatus excessit: Petrus vero plagis plurimis interfectus migravit ad Dominum. Post hunc Andreas plurima & ipse Iustinens supplicia per urbem tractus, ac dilaniatus, spiritum Domino commendauit.

Eodem die, Commemoratio sanctorum martyrum qui vnà cum sancto Stephano martyrium sustinuerunt, cum multi ex militibus propter sanctas imagines vitæ abrenunciantes, monachi facti essent, peruersus Imperator Constantinus diuersis modis cruciatus interfecit. Nam Basilium quendam reuentem quod heretici proposuerant, sed constanter sanctarum imaginum cultum defendentem, satellites Imperatoris ita calcibus ventrem illius conculcarunt, vt effusis visceribus mortuus fuerit. Alius quidam in Sostenio inclusus, naribus truncatus est cū vero tyranni iussu apud Chersonesum exul interficiendus foret, fugit in Chazariam, quo loco Episcopus factus, in pace consummatus est. Stephanus vero quidam in regionem Sugdiam relegatus, multos illic adiuuans, terrenæ vitæ finem accepit.

Eodem

Eodem die Natalis beati martyris Irenarchi. Hic ex vrbe Sebastia cum esset carnifex, tormentorum, quæ sanctis martyribus afferebantur, minister, inquisitis quibusdam Christianis mulieribus sub rege Diocletiano Maximo Præsidi Sebastia mente illustratur diuina Christi gratia opitulante, cum videret mulieres pro Christo viriliter se gerentes, & tyrannum ipsum miraculis confundentes, libere Christum confessus, & se Christianum esse prædicans, in paludem quandam iussu Præsidis iniicitur. Postremo in rogam ignis immissus, atque ex omnibus his admirabiliter liberatus, capite obruncatur.

Die XXIX.

Natalis sancti martyris Paramoni & trecentorum septuaginta qui cum illo mart. passi sunt. Hi fuerunt sub Decio Imperatore & Aquilino Præsidi, quos cum ad templum ISIDIS Præses ingressus execrabilia sacrificia Idolis immolaret, iussit & ipsos sanctos viros idem facere; quod cum illi renuerent præcepit omnes occidi. Itaque admirabiles Christi omnium regis diuina virtute corroborati facti sunt martyres numero trecenti septuaginta. Id cum vidisset sanctus PARAMONVS voce magna clamauit. Nefarium quidem atque impium facinus video, quod scelestus iste tot viros iustos eosque hospites pecudum more iugulat. Hoc audiens iudex, statim PARAMONVM interfici iussit. Quod cum rescisset beatus ille martyr, in eo ipso loco in quo ambulabat, qui missi fuerant illum opprimentes, non vni alicui cædem commiserunt, sed omnes in oculis iudicis, eius sanguinem effuderunt.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Ioannis Damasceni, Hic fuit sub Imperatore Leone Isaurico, & Constantino eius filio ex vrbe Damasco illustribus ortus parentibus, & orthodoxæ fidei obseruantia excellens. cum verò parentem haberet virtutis admodum studiosum, eius cura & diligentia omnem *Encyclopediam* edoctus est, & diuinitus inspiratus Scripturas didicit bene perscrutari. Itaque Christianæ fidei studio accensus relictis patrijs opibus, monasticam vitam amplexus est vna cum Cosma, cuius laus celeberrima est, in his melodis, & canticis, quæ de diebus festis conscripsit, erat enim omnis eruditionis, & monasticæ institutionis particeps, quemadmodum & sanctus Ioannes, qui orationis facultate, & sanctarum Scripturarum testimonijs impiam hæresim eorum, qui sacras imagines impugnabant, vehementer confutans, ac redarguens, multa eruditè & accuratè scripta reliquit, in quibus omnium ferè quæstionum solutio inuenitur. cum verò ad multam, & laudabilem senectutem peruenisset, excessit è vita beatus Ioannes, antea Mansur appellatus, quo vocabulo, & ipsius parentes appellabantur.

Eodè die Natalis B. martyris Philumeni, hic sub Aureliano Imperatore, ex Lycaonia genus ducens, cū frumentum ferret in regionem Galatarum, delatus apud Felicem Præsidem, & se Christianum esse confessus, clavis ferreis primum fuit pedibus confixus, postea suspensus lacertur, & detractus de ligno, in ardentem clibanum iniicitur, vnde Dei potentia incolumis seruatus, iterum clavis, capite, manibus & pedibus configitur, & vsque ad triginta stadia impellitur, quo ad deficiens, spiritum Deo tradidit.

Die XXX.

Certamen sancti Andreæ, qui primus ad Christi fidem
voca-

vocatus est. Hic cum per totam Bithyniam, Thraciam, & Schythiam, Euangelium Christi prædicavit, postea Sebastopolim profectus, atque ulterius progressus, Æthiopes Christi fidem docuit, cuius causa crucifixus est ab Ægeate Proconsule, eiusque corpus repositum est apud Patras Achaia, translatum verò postea fuit Constantinopolim, & cum beatis Luca Evangelista, & Matthæo Apostolo, repositum in templo sanctorum Apostolorum.

Eodem die, Commemoratio sancti Patris nostri Frumentij Episcopi Indiar.



MENSIS DECEMBRIS.

Die primo.

COMMEMORATIO sancti Prophetæ Naum.

Eodem die Natalis sancti Philareti, qui fuit sub imperio Constantini, & Irene, ex regione Paphlagonia, probitate vitæ & eleemosynarum largitate insignis, quippe qui plurima pauperibus distribuens eo paupertatis devenit, ut necessarius etiam victus illi defuerit, sed benignus Deus, illum inopia vexari non permisit; eius enim neptem Mariam nomine decoram & speciosam Regina filio Constantino uxorem dari divina providentia dispensatione disposuit, & illum ipsum Consulis dignitate ornari, & multarum pecuniarum dominum fieri, quas denuo pauperibus ipsis abunde suppeditabat. Cum verò tempus suæ ad Christum migrationis instare cognovisset, omnes sanguine coniunctos conuocavit, eisque futura prædixit, addens & hæc, Filioli hospitali-

tatis nolite obliuisci; ægrotos, & in carcere detentos uisitate, uiduarum & orphanorum patrocinium suscipite, res alienas nolite appetere, ab Ecclesiasticis congregationibus abesse ne patiamini, & ut summatim dicam, ut me facere uidistis, ita & vos facere ne desinatis. His dictis precibus ad Deum missis in pace quieuit.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Ananiæ Persæ. Hic fuit ex Arbela ciuitate Persarum, qui propter Christi fidem comprehensus multa atque intolerabilia sustinuit tormenta. & dum emitteret spiritum, uidit scalam ad cælum usque peruenientem, virosque instar ignis effulgentes se ad ciuitatem lucis, & lætitiæ plenam inuitantem, & sic consummatus est.

Eodem die Commemoratio sanctorum Antonij Iunioris & Onesimi, Archiepiscopi Ephesi.

Die II.

Commemoratio sancti Prophetæ Abacuc.

Eodem die Commemoratio sancti martyris Abibi, qui sub Licinio Imperat. cum esset in ordine diaconatus, Christianæ confessionis causa comprehensus, in ignem coniectus martyrij finem assequutus est, quem Christiani sustulerunt, eumque uinctum deposuerunt cum martyribus Guria & Samaua in loco qui dicitur Bethelachicla.

Die III.

Commemoratio sancti Prophetæ Sophioniæ.

Eodem die Commemoratio sanctorum eremitarum Ioannis Heraclemonis, & Andrea & Theophili. Hi sancti viri fuerunt ex vrbe Oxyricho, Christianorum parentum filij, qui multos annos diuinarum litterarum lectioni yacant.

vacantes ad interiorum eremum secedentes, vitæ asperitate & ieiunijs multis dediti sexaginta annos transegerunt, atque ita in Domino quiescentes, decesserunt.

Eodem die, Commemoratio sanctæ martyris Myropes. Hæc fuit ex vrbe Epheso, quæ mortuo patre baptizata incumbens ad monumentum sanctæ Hermiones vnus ex filiabus sancti Philippi, vnguentum ex sepulchro martyris suscipiebat, idque omnibus abunde tribuebat, ex quo & ipsa nomen est sortita Myrope dicta est, quæ Decio Imperatore persecutionem contra Christianos commouente apud insulam Chium propter Christianæ fidei confessionem vestibus grauius verberata & crinibus per totam urbem tracta, Deo spiritum reddidit.

Die 1111.

Commemoratio sanctæ martyris Barbaræ sub Maximo Imperatore, quæ ex Oriente filia fuit Dioscori cuiusdam.

Die V.

Commemoratio sancti Patris nostri Sabæ. Hic fuit sub Theodosio minore ex regione Cappadocum Christianis ortus parentibus, qui ab ipsa pueritia monasticam vitam aggressus admirabili abstinentia vsus, & sanctæ vitæ insignis cum multa edidisset miracula annos natus nonaginta quatuor.

Eodem die Commemoratio sancti Patris nostri Ioannis Episcopi Polyboti cognomento Thaumaturgi. Hic propter vitæ sanctitatem Episcopus Polyboti ordinatus, ieiunijs, continentia, & reliquis virtutibus excellens, Leonem execrabilem illum Imperatorem sanctas imagines blasphemare ausum vehementer reprehendit apud urbem Constantinopolim, ex qua reuersus in suam Ecclesiam gregem suum rectè pascens quieuit in pace.

Eodem

Eodem die Natalis S. martyris Anastasij. Hic cum sanctos martyres à gentilibus inquisitos videret propter Dei cōfessionem membratim discerpi, & ipse esset Christianus, considerans quanta illis à Deo reposita essent bona, cupiens illa consequi, quodam die corde accensus, cruce totum corpus signavit, in stadium cucurrit, & stās in medio confessu, magna voce clamavit, Inventus sum ab ijs qui me non quærebant, manifestus factus sum his qui me non interrogabant. Cùm verò omnes illum intuerentur, dixit, Audite vos omnes ministri Diaboli, audite inquam, Christianus ego sum, atque in Dominum meum Iesum Christum credo, & Idola vestra cum adoratoribus suis anathematizo atq; auerfor. Illi vero ita libere prædicantem audientes obstupuerunt, statimq; exuentes flagris cæsum carnifices, obruncarunt, & in mare proiecerunt.

Die VI.

Natalis S. patris nostri Nicolai Episcopi vrbis Mylani. ræ miraculorum effectoris.

Die VII.

Natalis sancti patris nostri Ambrosij Episcopi Mediorum. Eodem die Natalis sancti martyris Athenodori. Hic fuit sub Diocletiano Imperatore ex Mesopotamia Syriæ monasticam vitam à puero ingressus, delatus verò ut Christianus apud Præsidem Eleusium Christum confessus inter duas columnas extensus, accensis facibus vritur & vncinis in nares infixis cruciatur, postremo multis & varijs tormentis superatis lata sententia ut ense percuteretur, qui illum percussurus erat dissolutò corpore tanquam mortuus cecidit, manu ipsa cum ense in terram exidente, cumq; nullus alius ad eum accedere ausus esset beatus martyr Deum præcatus spiritum tradidit.

Eodem

Eodem die *S.* trecenti martyres in Africa gladio consummati sunt Zenone Imperatore, & Hunerico Ariano Rege, propter orthodoxę fidei cõfessionem, apud urbem Carthaginem obruncati, cum Arianis sentire non passi: sacerdotibus autem maiora excogitantes supplicia, duos incenderunt, sexaginta verò eloquentioribus linguas exciderunt, qui dispersi per omnem Romanorum regionem Dei ipsius vim in efficiendis miraculis maximam sine lingua prædicabant ita distincte & aperte & articulata verba proferentes, vt hæc videntes & audientes obstupescerent: ex quibus vnus quispiam post gratiam confessionis Christi lapsus in peccatum carnis, diuinam gratiam à seipso fecit discedere. Hæc non pauci rerum gestarum scriptores in suis historiarum monumentis scripta reliquerunt.

Eodem die commemoratio sanctorum ex numero septuaginta, Sosthenis, Apollo, Cephæ, Tychici, Epaphroditii, Casaris, & Onesiphori. Ex his Sosthenes quidem cuius sanctus Apostolus Paulus meminit, fuit Episcopus Colophonis; Apollo vero cuius & idem Apostolus mentionem fecit, Episcopus Dyrrachij: Onesiphorus, cuius mentio ab eodem Apostolo facta est, fuit Episcopus Choroneæ. Hi omnes cū bene rexissent Ecclesias suas, multa pro Christo perpeffi consummati sunt.

Die VIII.

Eodem die Commemoratio sancti patris nostri Sophronij Episcopi Cypri. Hic eiusdem Insulæ cinis, Christianis ortus parentibus, ingenij acrimonia excellens, multa didicit, & diuinas literas edoctus in illarum meditatione assidue versabatur. Itaque tantam virtutem assequutus est, vt multa per eum edita sint miracula. quamobrem post mortem Damiani Episcopi Cypri eiusdem

bb

urbis

urbis Episcopi factus fuit, qui pauperes nutrens, orphanorum & pupillorum, viduarum patronus, eorumque adiutor quibus iniuria inferebatur nudosq; operiēs, his harum rerum & similibus studijs intentus in pace quieuit.

Die IX.

Commemoratio sanctæ Annæ matris Deiparæ virginis.
Item sanctæ Annæ matris Samuelis Prophetæ.

Die X.

Commemoratio sanctorum martyrum Sofichei, Narses, & Isaac, qui propter Christi confessionem gladio cæsi sunt.

Eodem die commemoratio sanctorum Christi martyrum Menæ, Hermogenis, Calliceladi & Egraphi, sub Maximiano Imperatore propter Christiani nominis confessionem apud Alexandriam varijs tormentis cruciati sunt, quorum pretiosæ reliquiæ Byzantium translata plurima efficiunt miracula.

Eodem die Natalis sanctæ Gemelli martyris. Hic fuit sub Iuliano Imperatore Apostata, qui cum per urbem Ancyram iter faceret, in eius conspectu impietatem ipsius redarguit. Itaq; iussu Imperatoris ferrea Zona igne accensa, cingitur, & apostatam ipsum sequitur. Cum verò Edessam venissent, rursus robustus ille Christi Athleta siluestribus lignis verberatur & in feruentem sarragenem adipe, refina, & oleo plenam iniicitur, postea ferreis clavis eius caput confixum est, & pellis ipsa è corpore detracta instar ovis; posthæc in cruce suspenditur, clavis manus, & pedes affixus, cuius corpus fideles homines de ligno depositum sub terra condiderunt.

Die

Die XI.

Commemoratio sanctorum, Danielis, & beati patris nostri Luca, qui Scilytæ dicti sunt, propterea quod in columna mirabiliter stantes, multos annos transegerunt.

Eodem die certamen sancti martyris Barsabæ qui cum liberè Christum verum DEVM confiteretur, à Præside Persiæ obruncatus est,

Die XII.

Commemoratio sancti patris nostri Spiridonis Episcopi Trimetuntis vrbis CYPRI. Hic sub Constantino, & Constantio filio fuit primum pastor ouium, postea mortua vxore factus est Episcopus tot & tantus à DEO ipso dignatus miraculis, vt ex his cognomè accepit: Thaumaturgus enim appellabatur. Hic cum recte sibi commissum gregem gubernasset ex terrestri vita ad cœlestem migravit.

Eodem die Natalis sancti martyris Syneti. Hic fuit ex antiquiore vrbe Roma Aureliano Imperatore, qui à puero traditus à parentibus Romano Pontifici, sacras literas edoctus à sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ beatissimo Pontifice SIXTO lector constitutus est. Hic cum multos ad Christianam pietatem hortaretur, gentilium Deos irridens, eorumque errorem redarguens, accusatus apud Imperatorem Aurelianium detentus, & interrogatus libere Christum confessus est. Itaq; obruncatus migravit ad Dominum.

Eod. die commemoratio sancti patris nostri Alexandri
bb 2. Archie-

Archiepiscopi Hierosolymorum. Cùm Decio Imperatore aduersus Christianos commota esset persecutio, missi sunt per omnes regiones, qui Christianos homines inquirerent, & diuersis supplicijs cruciarent, tunc sanctissimus Alexander delatus apud Præsidem Cæsareæ, uinctus ac ductus est, & magna voce Christum omnium rerum Creatorem prædicans, Idola verò detestans, Dæmones esse affirmans, varijs tormentis cruciatus, à feris deuorandus condemnatur. illic igitur statim uestibus exutus, in theatrum alligatus producitur, in quem diuersas feras tyrannus immisit; ille verò Deum ita precatus est, Domine si voluntas tua est, vt nunc consumer, fiat quæ admodum tibi placuit; ferarum verò quæ in illum immisæ sunt, aliæ tanquam ipsum submissis capitibus adorantes ad sua latibula reuersæ sunt, aliæ ad terram volutatæ eius pedes deosculabatur, aliæ carnis vulnera lambebant linguis; sanctus verò Præsul Deo gratias agens auolauit ad Dominum, corpus illæsum in terra relinquens, quod religiosi quidam viri reuerenter vnguentes, & velis inuoluentes in loco insigni repofuerunt,

Die XIII.

Certamen sanctorum martyrum Eustratij, Auxentij, Eugenij, Mardarij, & Orestis. Hi verò sancti extiterunt sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus sub Duce Lysia & Agricolao, Orientis prouinciam gubernante; & sanctus quidem Eustratius ex Arabracenorum vrbe ortus est, * Scriniarius existens Ducalis ordinis, in quo primas gerebat, cupiens verò pietatem liberè profiteri, sed timens rei euentum, zonam per aliquem ministrum deponi iussit in Arabracensi concione. Hic vltro se obtulit Lysia, & Christianam fidem professus, zona militari priuatus,

augustinus.

uatus, Tyranni iussu denudatur, & flagris cæditur, postea funibus ligatus in sublime tollitur, ad hoc sale & aceto commixto eius membra perfusa sunt, latera verò asperis testis contrita, ex quibus omnibus mirabiliter euadens incolumis, sanctum *Eugenium* ad Christi fidem libere prædicandam inuitauit. Itaque & *Eugenius* ipse Christum confessus, se cum sancto *Eustratio* sentire asserens, eundemque Christum à se coli asseuerabat, tunc ferreis crepidis affixis, sanctus *Eustratius* ab vrbe *Sebastenorum* vsque ad *Nicopolim* abigebatur, quem sanctus *Mardarius* cum adduci vidisset, beatum prædicauit; quamobrem & ipse *Præsidente* *Lysia* primus *Auxentius* obruncatus est, sanctus verò *Mardarius* perforatis talis inuerso capite suspensus posterioribus corporis partibus adustis, decessit. Sanctus verò *Eugenius* excisa lingua, & manibus, cruribus etiam contractis præsentis vitæ finem accepit. Hæc cum vidisset beatus *Orestes*, se **CHRISTI** seruum appellans cum *Eustratio* victus vterque à *Lysia* ad *Agricolaum* missus est. cumque omnem gentilis erroris fallaciam ex eorum etiam libris redarguisset (erat enim summa eruditione præditus) & Christi dispensationem enarrasset, Tyranno stuporem attulit: Sancto autem *Oreste* in ferreo grabato accenso prius posito, atque in eo ipso beatæ confessionis fine expleto, postea *Eustratius* in caminum ardentem iniectus martyrij corona donatus est.

Die XIIII.

Sanctorum martyrum *Thyrsi* & *Leucij* sub *Decio* Imperatore & *Cumbratio* Præside persecutionem Christianorum commouente in partibus *Nicomediæ*, *Niceæ* & *Cæsareæ Bithyniæ*. Cum sanctus *Leucius* Christum confite-

fiteretur, & Idolorum vanitatem improbaret, & in Christiana confessione constanter permaneret, obruncatus est. Præfidi verò Hellespontum proficiscenti sanctus Thyrsus occurrens libere D E V M Christum esse prædicans, & Tyrannum arguens quod temerè ijs qui dij non sunt, honorem tribuerent. Itaque verberatur, manibus & pedibus ligatur, eiusq; palpebræ transfiguntur, alijsq; multis tormentis cruciatus cum Christi gratia, ex omnibus his incolumis euasisset, precibusq; omnia Idola subuertit, postea in vas aqua plenum capite inuerso deicitur, quo statim fracto, ex pinna muri, pietus est, solo ipso in quod deijeendus esset, acutis clavis, & ferro substrato, ex quibus Christi potentia illæsus seruatus est. Cum verò Cumbricitus & Siluanus vitam malè abruptissent, successit Baddus Præses, qui sanctum virum sacco inclusum in mare deiecit; sacco verò disrupto, Angelorum præsentia in continentem terram eductus, denuo verberatur, atque iterum suis precibus simulachra destruit, & feris esca proponitur, ex quibus incolumis ereptus, tam grauitè cæsus est, vt eius carnes discerptæ in terram deciderint, quo tempore sanctum Callinicum Idolorum sacerdotem ad Christi fidem attraxit, maiorem enim omnibus Deum illum esse censuit, cuius inuocatione Idola ipsa deciderent. Cum enim sanctus Thyrsus esset in vrbe Appollonia inanum Deorum simulacra oratione deiecit, quo facto sanctus Callinicus Idolum deijciens, quod illi adorabant, ense percussus finem accepit. Sanctus verò Thyrsus in arcam iniectus, vt ferra dissecaretur, cum carnifices ipsi manus mouere non possent, illæsus permansit, & in pace quiescens, spiritum D E O reddidit.

Eodem die Natalis sanctorum martyrum Philemonis,
 Apol-

Apollonij, & sociorum. Hi fuerunt sub Diocletiano Imperatore, & Arriano Præsidi Thebaidis apud Ægyptum, cum septem & triginta Christiani detenti, & ad Iudicem ducti essent, vnus ex illis, Apollonius nomine, Catholica Ecclesie lector formidans tormenta, quæ Iudex minatus fuerat, quatuor aureos dedit Philemoni tibicini, vt indutus se illius vestibus, pro ipso Idolis sacrificaret. Ingressus igitur Philemon id facere omnino recusans, CHRISTVM confessus est; Cum verò Iudex ipsum non cognouisset, iussit Philemonem introire, & tibias inflare, vt melodiam audientes, Christiani eare delectati, Idola ipsa adorarent: cognitus est Philemon, quod ipse esset lectorem Apollonium simulans. Admonente igitur Præsidi, vt Christianus esse desineret, additque frustra illum laborare, si quidem nisi esset baptizatus, cum Christianis numerari non posset. Cum igitur peteret baptizari, neque id facere auderet, orante illo imbrem super illum solum demisit DEVS, ita vt omnes præsentés obstupescerent, & Philemonem ipsum certiozem faceret, quod nemine audente propter metum Præsidis eum baptizare, è cælo baptismus demissus sit. Compræhenus verò Apollonius, quippe qui caula fuerat, Philemoni vt ad CHRISTI fidem conuerteretur, scctis pedum nervis, per totam urbem tractus est; Philemon in arbore suspensus, sagittis petitur, sed sagittæ ipsæ illum non tangebant; vna verò ex illis ipsis Præsidis oculum compunxit, quod cum vidisset sanctus Philemon, dixit: Post martyrium meum accipiens puluerem ex sepulchro, sanum efficies oculum, quod reuera factum est, cum enim vtriusque caput abscissum esset, Præsides post aliquot dies venit, vt
vide-

videret reliquias sanctorum martyrum, & sanitas exuli restituta est. quamobrem & ipse, & qui cum eo erant in Christum credentes, baptizati sunt. id cum cognouisset Diocletianus, detentum, & ferreis vinculis adstrictum, saxo collo alligato in hiatus terrae deiecit, quem admirabiliter seruatum, lecto in palatio Regali astantem vidit, magumque esse suspicatus in mare deiecit.

Eodem die commemoratio sanctorum quatuor Protectorum, qui cum B. Ariano martyrij certamē sustinuerunt, postquam sanctos martyres Philemonem & Appolonium diuersis tormentis cruciatos in hiatus terrae Diocletianus deiecit, B. etiam Arianum in profundam terrae foueam deiecitum congesta terra operuit, eiusque sede desuper posita, iussit milites ludentes dicere, Videamus, num veniat Deus Arriani, & illum liberet à fouea, posthac rediens ad domum regiam, venit ad lectum ut illic decumberet, & videt ferrea vincula, & saxum antecubile ipsius suspensa & Arianum ipsum in lecto cubantem, quare perterrefactus in mare deiecit, cum quatuor Protectoribus, qui vnà cum illo in Christum crediderunt.

Di. XXV.

Certamen SS. martyris Eleutherij. Hic fuit ex vrbe Roma matrem habens nomine Anthiam Christi fidem à beato Paulo Apostolo edoctam. Hic à Pontifice Aniceto sacras literas eruditus, clericus effectus est, deinceps ordinatus Diaconus, & presbyter, postea Episcopus Illyrici, cum q̄ multos Christi fidem doceret, detentus ab Adriano Imperatore, quo audiente Christum prædicans vehementer cruciatus est, & * Corebori tribuni consilio in caminum ardentem iniectus, in quem Spiritu sancto commotus Coreborus ipse ingressus, Christum ipsum Deum esse confessus est, & illinc egressus incolumis

* Menza
magna: Co-
remmonis.

columis, ligatus ad ferocium equorum currus, atq; hinc ab Angelo creptus ductus est ad montem, quo missi sunt milites ad illum detinendum, qui ab eo baptizati, postea alij fere quingenti. ductus verò ad Imperatorem feris proiectus, & incolumis seruatus à duobus militibus interceptus euolauit ad Dominum.

Die XVI.

Commemoratio sancti Prophetæ Aggæi.

Eodem die commemoratio sancti martyris Marini. Hic fuit sub Carino Imperatore Romanus senatorij ordinis particeps; delatus vero vt Christianus ductus, cum nollet sacrificare suspensus est, laceratus, & in sartagine feruentem iniectus, admirabiliter liberatus est, igne ipso in rorem conuerso ferisq; multis in illum immisis seruatur incolumis. post hæc, quasi sacrificaturus ad Aram accedens precibus Idola ipsa deiecit, comitantibusque illum patre & matre beatum prædicantibus, gladio martyris palmam consecutus est.

Die XVII.

Commemoratio sancti Prophetæ Danielis, & trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, & Misælis.

Commemoratio sanctorum patrum nostrorum Abram, Isaac & Iacob, & Danielis Prophetæ.

Die XVIII.

Commemoratio sancti martyris Sebastiani, & sociorum, Zoes, Tranquillini, Nicostrati, Claudij, Castoris, Tiburtij, Castuli, Marcellini & Marci, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus.

Die XIX.

Natalis sancti martyris Bonifacij.

Commemoratio sancti patris nostri Gregorij Grigentinii.

cc

Natalis

Die XX.

Natalis sacrosancti martyris Ignatij.

Eodem die, commemoratio sanctorum martyrum Eugenij & Macharij, qui sub Iuliano Apostata detenti atque ad illum ducti, eius impietatem arguentes in ignem traditi, serpentibus venenatis obijciuntur, à quibus illasi permanentes vincti missi sunt in Mauritaniam in regionem Andidonem, quam Christi noticia illustrantes, plurimis editis miraculis beatas animas Deo traderunt.

Eodem die commemoratio sancti patris nostri Philogonij Episcopi Antiochiæ. Hic beatus vir, diuinarum literarum scientia illustris, in tribunali diu versatus patrocinium egenorum, viduarum, & pupillarum suscepit, postea ad Christi gregem gubernandum assumptus est, quo tempore multa erat difficultas gubernandi, cum paulo ante persecutio ipsa cessasset, & difficillimæ tempestatis reliquæ superessent, licet hæreticorum irruptio eius tempore incipiēs, ipsius sapiētia intercepta fuerit quemadmodum, & beatissimus IOANNES CHRYSOSTOMVS encomijs eum honorans latius de eius laudibus dissererit. Hic gregem sibi commissum disciplina DEO grata pascens Angelicam super terram vitam duxit, & sacerdotio excellens ad Dominum migravit.

Die XXI.

Commemoratio sanctæ martyris IULIANÆ apud Nicomediam. Hæc sub Maximiano Imperatore.

Die XXII.

Commemoratio sanctæ martyris ANASTASIE sub Diocletiano Imperatore in vrbe Roma.

Eodem

Eodem die Natalis sancti martyris Chryfogni in vrbe Roma sub Diocletiano Imperatore.

DIE VIGESIMO
tertio.

Natalis sanctorum martyrum decem apud Cretam pastorum.

DIE VIGESIMO
quarto.

Certamē sanctæ Eugeniæ martyris, & sociorum. Hæc fuit sub Commodo Imperatore filia tribuni in vrbe Roma; missus autem pater ab Imperatore in ciuitatem ALEXANDRIÆ, vt tribunatus magistratum gereret secum duxit vxorem & filios, quorum vna fuit beata Eugenia, quæ cum literas edisceret, & in multorum librorum lectione versaretur, incidit & in Epistolas sancti Apostoli PAULI, ex quibus Christi fidem didicit. Itaq; patrios tumultus & mundi fallaciam derelinquens, cum duobus eunuchis ad monasterium, quod est ante ciuitatem ALEXANDRIÆ se contulit, virili habitu induta, accepta igitur hospitio ab ELENO Episcopo causam addens quare illuc venisset, diuino Baptismate cum ijs quos secum duxerat, dignata est, & in ordinem monachorum aggregata, & post aliquod tempus, monasterij curam sibi creditam suscepit, vbi propter miracula quæ per illam Deus efficiebat; facta est familiaris mulieri cuidam ordinis senatorij, quæ Melanthis vocabatur; accusata postea est ab illa quasi ad coitum illam prouocasset, crimen obijciens, quod illius naturæ repugnabat: existimans enim marem esse propter speciem habitus, eius pulchritudine vulnerata cum sæpe periculum faciens ab ea repulsa esset, detulit
illam.

illam ad Philippum Tribunum. Cum verò Pater illam accersiri iussisset, veritas detecta est, non solum quod in habitu viri esset mulier, sed etiam quod Tribuni esset filia, quare patrem, matrem, & multos ex familia, ad Christianorum fidem attraxit; & pater quidem Tribuni dignitate deposita baptizatus est, postea & martyrij perfectionem assecutus, irruentibus in eum in templo Idolorum infidelibus, qui & illum gladijs interfecerunt; sancta verò Eugenia Romam adducta est cum matre, & fratribus Proto, & Hyacintho eunuchis, qui obruncati sunt, ipsa verò saxo graui alligata in Tyberim flumen proiecta est, atque illinc seruata gladio consummationem accepit.

Die XXV.

Natalis secundum carnem Domini & Dei, & Saluatoris nostri IESV CHRISTI.

Eodem die, Adoratio sanctorum Magorum.

Die XXVI.

Celebritas sanctæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semper virginis Mariæ & sancti ac iusti Iosephi eius sponsi.

Die XXVII.

Celebritas sancti Protomartyris, & Archidiaconi Stephani. Et sanctorum confessorum Theodori & Theophanis fratrum.

Eodem die, Commemoratio sancti martyris Mauritij & septuaginta sociorum, qui sub Maximiano Imperatore apud urbem Apamensem passi sunt.

Die XXVIII.

Certamen sanctorum viginti millium martyrum sub Maximiano Imperatore apud Nicomediam combustorum.

Die

Die XXIX.

Natalis sanctorum Infantum ab Herode interfectorum.

Die XXX.

Commemoratio sanctæ martyris Anysiæ, quæ sub Maximiano Imperatore ex vrbe Thessalonica à milite quodam Idolis seruiente, atque ad aram sacrificij offerendi causa attrahente, sanguinem effundere maluit potius, quàm Christum abnegare.

Die XXXI.

Commemoratio sancti martyris & Presbyteri Zotici orphanorum nutritoris, qui fuit ex antiquiore vrbe Roma, claris ortus parentibus à Constantino Magno in ciuitatem Constantinopolim, vnà cum alijs quibusdam nobilibus ductus.

FINIS.



HENRICVS CANISIUS

Lectori.

HESAVRVM hunc, (ita enim Menologium hoc lectissimum opusculum semper habui) Andrea Schotto Societatis I E S V acceptum refero, viro de omni antiquitate optime merito. Sed non minores gratie habende Reu. & nobili Domino Antonio Velfero Marci fratri, quos quotiescunque nomino, si eos debitis encomijs ab exquisita & admiranda eruditione repetitis non afficiam, scito causam esse quia illa nomen ipsum præfert. Submisit ergò ille Frisinga tomos Menæorum magnorum, Græcè tantum excusos, sine quibus,
cc 3 fateor,